
FREIHEIT IN BINDUNG
EX LIBRIS
LÖSET VOM ZWANG
Dr. Helmut Vester

PH

PHARMACOPOEA DANICA.

REGIA AUCTORITATE EDITA

ANNO 1868.

EDITIO SECUNDA.

HAUNIÆ.

IMPENSIS REITZELII.

TYPIS EXCUDIT THIELE.

1869.

Praefatio.

Divendita pharmacopoea Danica, qvae abhinc viginti fere annos prodiit, Collegio sanitatis regio placuit, novam pharmacopoeam edi, qvae disciplinae progressibus magis qvam prior responderet; qvam ob rem a ministro, cui summa rei judiciariae cura data est, collegium petivit, ut nobis, qvorum nomina huic praefationi subscripta sunt, munus novae pharmacopoeae conscribendae mandaretur.

In hac pharmacopoea exaranda duae res respiciendae erant, qvarum in prioribus pharmacopoeis nulla erat ratio habita. Qvum enim inter rectores civitatum septentrionalium Daniae, Sveciae, Norvegiae convenisset, ut in novis pharmacopoeis horum regnorum conficiendis id agendum esset, ut summa earum esset conspiratio et consensio, prospiciendum erat, ut omnia praeparata fortiora, qvorum qvidem nomina eadem essent, in tribus pharmacopoeis eodem modo componerentur, et vis eorum eadem esset. Qvae ea de causa in vi et efficientia graviorum remediorum compositorum necessario mutanda erant, in notis singulis remediis subjectis indicavimus. Qvum vero novae pharmacopoeae Sveciae et Norvegiae nondum editae sint, nomina, qvibus remedia in pharmacopoea Svecica et Norvegica nunc usitata designantur, addidimus, si remedia in iis inveniuntur.

Tum vero observanda erat lex, a. d. 16 Kal. Mart. a. 1868 a rege sancita; ex hac lege, qvae Collegii sanitatis regii hortatu lata est, Gallicum pondus grammatum medicis in remediis praescribendis et pharmacopolis in remediis ad usum medicum dispensandis dehinc erit adhibendum. Qva ratione inita, pondus medicinale apud nos usitatum respondebit

ponderi ab omnibus fere populis, qvorum vita artibus exculta est, recepto; qvae res qvanto usui sit futura, omnibus perspicuum esse debet; atqve in Svecia et Norvegia idem pondus in posterum recipietur.

Ut mutatio ponderis prioris in novum facilior esset, tabulam addidimus, qvae indicat, qvomodo pondus recentius vetustiori accurate respondeat, ponderibus singulis inter se comparatis. Sed qvoniam difficultates vix superabiles oriri poterunt, si qvantitas singulorum remediorum in formula medica vetustiore praescriptorum accurate erit dispensanda, atqve exigua differentia vim remedii nihil admodum mutabit, tabulam confecimus, in qva computatio ponderum priorum ex nova ponderis ratione qvam accuratissime facta est; qvae tabula ut auctoritate publica confirmetur, a ministro petemus. Propter hanc ponderis mutationem necesse fuit in remediis nonnullis compositis conficiendis relationem singularum partium aliqva ex parte immutare; itemqve in Decoctis et Infusis parandis relatio substantiae et colaturae mutanda erat.

Ne qvid a pharmacopolis per errorem delinqveretur, duos indices venenorum et remediorum fortium vel heroicorum, qvae vocantur, addidimus; vasa, in qvibus haec remedia a pharmacopolis conduntur, et scrinia, in qvibus venena asservantur, hoc signo † † † notanda erunt, ut remedia illa ea, qva par sit, cautione serventur.

Deniqve hoc qvoqve observandum est, certa qvaedam remedia in hanc pharmacopoeam non esse recepta, qvum alia eorum aut omnibus tam nota sint aut tam levi momento, ut accuratior eorum descriptio supervacanea videatur, alia non sint medicamenta sed in medicamentis nonnullis parandis adhibeantur, cujus generis sunt lac, vinum, fructus recentes, gossypium, carbones lignei, chloretum calcicum, alia.

M. Djørup. T. S. Warncke. A. Piper.
S. M. Trier.

Prolegomena.

A. De pondere, thermometro, pondere specifico.

Pondera, qvibus medici in medicamentis praescribendis, et pharmacopolae in medicamentis ad usum medicum dispensandis uti debent, haec sunt:

Kilogramma, qvod continet	10	Hectogrammata.
Hectogramma	10	Decagrammata.
Decagramma	10	Grammata.
Gramma	10	Decigrammata.
Decigramma	10	Centigrammata.
Centigramma	10	Milligrammata.

In Svecia et Norvegia eadem ponderis ratio rata erit, ubi novae Pharmacopoeae, qvae nondum absolutae sunt, publica auctoritate comprobatae erunt.

Longitudinis mensura in Dania usitata haec est:

Cubitus, qvi continet	2	Pedes.
Pes	12	Pollices.
Pollex	12	Lineas.
Cubitus	0,6277	Metros Gallicos.

Mensura longitudinis Gallica, qvae ad specimina describenda in Pharmacopoea Danica adhibetur, haec est:

Meter, qvi continet	10 Decimetros.
Decimeter.....	10 Centimetros.
Centimeter	10 Millimetros.
Meter	3,1862 Pedes Danicos.

Thermometrum centum graduum sive Celsianum ad gradum caloris constituendum in Pharmacopoea Danica adhibetur.

Pondera specifica calore 15 graduum in Pharmacopoea Danica definita sunt.

Sveci et Norvegi eodem thermometro eademqve temperatura ad pondera specifica definienda utuntur.

B. De partibus vegetabilibus colligendis, siccandis, servandis.

Nisi alia ratio praescripta est, hae regulae observandae sunt:

Omnes plantarum partes, qvantum fieri potest, e plantis in nostra patria sua sponte nascentibus potius qvam e cultis colligendae et diligenter siccandae sunt. In receptacula lignea vel vitrea vel porcellanea vel metallica immissae plane comprimendae sunt et, receptaculis probe clausis, ita servandae, ut qvum insecta tum lux, humor pulvisqve ab iis arceantur. Ne sint mucidae neve cariosae; prospiciendum est, ne colorem, odorem, saporem proprium amiserint.

Rhizomata, Radices, Tubera aut vere colligenda sunt, foliis nondum evolutis, aut auctumno, planta marcescente. Aqva communi frigida celeriter abluta et a partibus alienis adhaerescentibus purgata siccentur, stratis non densis expansa; si succulenta et crassa sunt, e filis suspensa siccentur aut in loco aëri pervio et umbroso, aut leni calore adhibito.

Cortices e plantis non nimis vetulis nec nimis novellis colligendi sunt; iisdem anni temporibus, qvibus Radices, colligantur, potissimum tamen verno tempore, eodemqve modo, qvo Radices, siccentur, sed lavatione omissa.

Folia et **Herbae** tempestate sicca colligantur eoqve tempore, qvo maxime se evolverunt, plerumqve ubi florere coeperunt; tum stratis non densis expansa ut Radices qvam celerrime siccentur.

Flores tempestate prorsus sicca colligantur, postqvam se evolverunt; collecti summa diligentia ut Folia siccentur.

Fructus et **Semina** permatura colligantur et probe siccentur aut in loco aëri pervio et umbroso, aut leni calore adhibito. Fructus Papaveris, anteqvam arescere incipiat vel anteqvam permaturuerit, decerpendus est.

C. Praecepta operationum qvarundam et praeparatorum.

Nisi alia parandi ratio praescripta est, haec observanda sunt:

Pulveres. Substantiae in pulverem redigendae primum ab omnibus partibus alienis adhaerescentibus vel immixtis purgentur et, adhibito calore 60°—65° non excedente, caute siccentur, prius, si opus est, concisae vel alia ratione comminutae. Deinde, substantiis in mortario vel alia ratione contritis et in cribrum operculo fundoqve instructum immissis, pulvis qvassatione secernatur. Pulvis secretus probe commisceatur et, si opus est, iterum caute siccetur, tum in vasis probe siccatis servetur, a luce, humore, partibus pulverulentis, qvae in aëre insunt, remotus. Partes remanentes substantiarum vegetabilium abjiciendae sunt. Parvam tantum copiam pulverum ex substantiis organicis paratorum servare licet.

Concisa. Concisio ita instituatur, ut omnes partes eadem fere sint magnitudine; partes pulverulentae cribro secernantur. Parvam tantum copiam partium vegetabilium concisarum servare licet.

Decocta ita parantur, ut substantiae praescriptae concidantur vel grosse pulverentur, deinde cum copia Aqvae communis ebullientis sufficienti in pyxidem stanneam vel cupream stanno obductam vel porcellaneam, qvae operculo accurate claudi possit, immissae commisceantur; tum, pyxide probe clausa et in balneo aqvae collocata, per tertiam partem horae igne leni et continenti coqvatur; qvo facto, massa adhuc calida expressione coletur, deinde liqvor per aliqvod tempus loco frigido seponatur, ut partes turbantes subsidant, et decantetur. Ne affundatur major copia Aqvae, qvam qvae reqviratur ad copiam Decocti praescriptam parandam. Si copia Decocti justo minor est, residuum cum tanta copia

Aqvae communis ebullientis commisceatur, ut pars, qvae desit, expleatur, tum massa iterum coletur et decantetur.

Ex singulis (1) partibus substantiae denae (10) partes Decocti parandae sunt, sed si Decoctum concentratum reqviritur, qvinae (5) partes parandae sunt. Si Decocta substantiarum narcoticarum aut heroicarum paranda sunt, copia earum in formula medica definienda est. Parentur ex tempore.

Electuaria ex tempore parentur, tamen copias perparvas Electuariorum, qvae saepe reqvirantur, in vasis probe clausis loco frigido servare licet.

Emulsiones ex tempore parentur.

Infusa. Nisi alia parandi ratio praecepta est, substantiae praescriptae concidantur vel grosse pulverentur, deinde in vas stanneum vel cupreum stanno obductum vel porcellaneum, qvod Aqva bullienti infusa antea calefactum sit, immissae justa copia Aqvae communis ebullientis perfundantur et, operculo confestim imposito, inter agitationem saepius repetitam per qvartam partem horae digerantur; qvo facto, massa expressione coletur, deinde liqvor seponatur, ut partes turbantes subsidant, et decantetur. In copia Aqvae et substantiarum definienda regulae, qvas in Decoctis commemorandis supra exposuimus, observandae sunt. Ex tempore parentur.

Maceratio fiat, calore 15°—25° adhibito, inter agitationem vel qvassationem saepius repetitam.

Digestio fiat, calore 35°—40° adhibito, inter agitationem vel qvassationem saepius repetitam.

Filtratio ita instituatur, ut liqvores per chartam bibulam puram, albam, glutinis expertem in infundibulo tecto transmittantur. Aqva communis sive fontana coqvenda, refrigeranda, filtranda est, priusqvam in receptura ad Solutiones vel Mixturas parandas adhibetur.

Medicamenta, qvorum praeparatio in Pharmacopoea exposita est, itemqve omnes substantias vegetabiles vel animales et concisas et contusas et pulveratas pharmacopolae ipsi in suis officinis parare debent aut providere, ut per alios ibi parentur. Si opus fuerit, aliunde ea arcessere poterunt, sed ab altero pharmacopola, qvi et ipse praeceptis legum nostrarum custodiaeqve publicae subjectus est; ipse vero utiqve qvalitatem medicaminum praestare debet.

Qvantum fieri potest, prospiciendum est, ut omnia instrumenta et vasa ad medicamenta paranda et servanda adhibita ea sint materia, qvae medicamentis non tentetur.

Omnia medicamentorum receptacula signo Latino ad legendum facili instructa esse debent. Receptacula pharmacopoliorum, qvae in posterum condentur aut denuo instituentur, nominibus officinalibus Pharmacopoeae usitatae signanda erunt.

D. Praecepta nonnulla, qvae in medicamentis dispensandis observanda sunt.

1. Omnia medicamenta secundum praecepta Pharmacopoeae aut formulae medicae accurate paranda sunt, neqve pharmacopolis suo arbitrio qvidqvam mutare aut addere aut omittere licet, qvo medicamentorum color pulchrior aut sapor jucundior aut vis major fiat.

2. Eorum medicamentorum, qvorum et meliora et deteriora genera in mercatura occurrunt, pharmacopolis meliora sola habere et dispensare licet. Si idem medicamentum et crudum vel venale et depuratum vel purum vel rectificatum in pharmacopoliis prostat, pharmacopolae medicamentum crudum vel venale ne dispensent, nisi medicus diserte hoc praescripserit.

3. Eorum medicamentorum, qvae eodem nomine designantur, sed vi differunt, debiliora semper dispensanda sunt, nisi medicus nominatim fortiora praescripsit.

4. Medicamenta semper ponderibus dispensanda sunt, numqvam mensuris, nisi medicus hoc diserte praescripsit.

5. **Pilulae.** Ad Pilulas formandas substantiae solidae non adhibendae sunt nisi pulveratae. Si praeceptum medici ejusmodi est, ut massa pilularis ex substantiis praescriptis confici non possit, pharmacopolae aut Aqvam destillatam aut Syrupum Sacchari aut Spiritum dilutum aut Spiritum concentratum aut Radicem Althaeae pulveratam addere licet et Pilulas ita formare, ut, etiamsi pondus earum paullo majus fiat, numerus tamen idem sit, qvem medicus aut diserte praescripserit, aut eum praescribere voluisse consentaneum sit. Si pondus Pilularum in formula medica non definitum est, statuere licet, eum voluisse, ut singulae Pilulae centena vicena milligrammata substantiarum omnium nominatim praescriptarum continerent. Nisi medicus aliud praescripsit, Pilulae Lycopodio conspergendae sunt. Pharmacopolam substantiam ejusqve copiam, qvam sua sponte addiderit, in formula medica significare oportet. Pilulae, qvae substantias volatiles

contineant aut humorem ex aëre facile attrahant, in vasis vitreis probe clausis dispensandae sunt. Pilulae ex tempore formentur.

6. **Pulveres** volatiles aut humorem ex aëre facile attrahentes in vasis vitreis probe clausis dispensentur. Singulae eorum doses ponderatae in suam qvaeqve capsulam ex charta cerata confectam immittantur.

7. Signa medicamentorum dispensatorum in charta alba notanda sunt, si medicamenta usui interno inserviunt, in charta caerulea, si externo usui inserviunt.

MATERIA PHARMACEUTICA.

Acetas cupricus.

Cuprum aceticum crystallisatum, Viride aeris crystallisatum D. 50.
(Acetas cupricus Sv. 45. Acetas cupricus crystallisatus N. 54).

Eddikesurt Kobbertveilte.

Aerugo pulverata in justa copia Aceti solvatur, solutio filtretur et in formam crystallorum redigatur. Crystalla calore non adhibito siccentur, deinde in vase vitreo diligenter clauso serventur.

Sint crystalla obscure viridia, prismatica, in aëre fatiscentia, in Aqvae frigidae partibus qvattuordecim, bullientis partibus qvinqve solubilia. In Solutione Supercarbonatis ammonici prorsus solvantur, liqvorem obscure caeruleum exhibentia.

Acetas kalicus.

Kali aceticum, Terra foliata Tartari D. 50.
(Acetas kalicus Sv. 45).

Eddikesurt Kali.

℞. Acidi acetici partes centum, ... 100

his in vas porcellaneum immissis paullatim addantur

Bicarbonatis kalici partes qvadraginta octo..... 48

vel tantum, ut liqvor per aliqvod tempus calefactus ad chartam exploratoriam indifferens sit. Solutio filtrata deinde in vase porcellaneo inter perpetuam agitationem ad siccitatem evaporetur, guttis nonnullis Acidi acetici sub finem evaporationis additis. Pulvis etiam calidus ingeratur in vasa vitrea prorsus siccata, in qvibus accurate clausis servetur.

Sit pulvis candidus, sqvamosus, valde hydroscopicus, in Aqvae partibus duabus, in Spiritus concentrati partibus qvattuor plane solubilis. Solutio Solutione Sulphidi hydrici, Sulphohydratis ammonici, Chloreti barici ne mutetur, Solutione Nitratis argentici vix turbetur.

Acetas morphicus.

Morphium aceticum D. 50.

(Acetas morphicus Sv. 45. Acetas morphinicus crystallisatus N. 54).

Eddikesurt Morphin.

Pulvis albidus, Acetum paullum redolens, sapore peramaro. In Spiritu solvatur itemqve in Aqva prorsus solvatur, paucis guttis Aceti additis. Solutio, addita Solutione Hydratis natrici, praebeat sedimentum album, qvod in liqvore praecipitanti abunde addito facile solvatur, odorem Ammoniaci non spargens. Calefactus prorsus deflagret. In vase vitreo bene clauso servetur.

Acetas natricus.

Natrum aceticum D. 50.

(Acetas natricus crystallisatus N. 54).

Eddikesurt Natron.

Crystalla coloris expertia, pellucida, odore non empyreumatico, in aëre sicco fatiscentia. Solutio Solutione Sulphidi hydrici ne turbetur, Solutione Nitratis argentici et Chloreti barici vix turbetur. In vase bene clauso servetur.

Acetas plumbicus.

Plumbum aceticum depuratum, Saccharum Saturni depuratum D. 50.

(Acetas plumbicus Sv. 45. Acetas plumbicus crystallisatus N. 54).

Eddikesurt Blyilte.

℞. Acetatis plumbici venalis partes decem; 10

solvantur in

Aqvae destillatae bullientis partibus qvindecim..... 15
et addatur

Aceti pars una, ... 1
deinde solutio filtrata lege artis in crystalla redigatur. Crystalla, nullo calore adhibito, inter plagulas chartae bibulae siccentur, siccata in vase vitreo probe clauso serventur.

E lixivia remanente plura crystalla evaporando et seponendo comparari possunt.

Sint crystalla parva, coloris expertia, in Aqvae frigidae partibus duabus, bullientis parte dimidia, in Spiritus partibus octo solubilia. Solutio Ammoniaci abunde addita liqvori, qvi albo sedimento innatat, colorem caeruleum ne tribuat.

Acetas plumbicus venalis.

Plumbum aceticum crudum s. Saccharum Saturni D. 50.
(Saccharum Saturni Sv. 45).

Almindeligt Blysukker.

Sint crystalla coloris expertia, qvae, Aqva addita, solutionem turbidam praebeant. Serventur in vase probe clauso.

Acetas zincicus.

(Acetas zincicus crystallisatus N. 54).

Eddikesurt Zinkilte.

℞. Acidi acetici partes decem,..... 10
in cucurbitam vitream immissae calefiant, deinde addantur

Oxydi zincici venalis partes duae..... 2.
Solutio inde parata per aliqvot horas cum frusto Zinci politi digeratur, deinde calefacta filtretur et ad crystallisationem seponatur. Crystalla orta colligantur et inter plagulas chartae

bibulae, nullo calore adhibito, siccentur. E lixivia remanente plura crystalla, evaporatione continuata, comparari possunt. Crystalla in vase vitreo probe obturato serventur.

Sint crystalla coloris expertia, in Aqvae frigidae partibus tribus, bullientis parte dimidia solubilia. Solutio Acido hydrochlorato acidulata, addita Solutione Sulphidi hydrici, colore fusco ne tingatur. Sedimentum, qvod, Solutione Ammoniaci addita, oritur, in liqvore praecipitanti abundanti facile solvatur.

Acetum.

Acetum dilutum D. 50.

Ren Eddike.

℞. Acidi acetici partes qvattuor, ... 4

Aqvae destillatae partes viginti unam; 21

misceantur.

Partes sexcentae viginti qvinqve partes Carbonatis natrici anhydri viginti sex accurate neutralisent. Centum (100) partes continent qvattuor (4) partes Acidi acetici anhydri.

Acetum crudum.

Acetum vini crudum D. 50.

(Acetum commune Sv. 45. Acetum N. 54).

Eddike.

Liqvor limpidus, coloris expers vel subflavus, odore et sapore peracido, ejusdem vis atqve Acetum. Ne turbetur Solutione Sulphidi hydrici; Solutione Chloreti barici et Nitratis argentici modo mediocriter turbetur.

Acetum Rubi idaei.

(Sv. 45. Acetum Fructuum Rubi N. 54).

Hindbær-Eddike.

℞. Fructus recentis Rubi idaei contusi ..... q. v.

per aliqvot dies in temperatura 20°—25° seponatur, donec evolutio gasis desinat; deinde succus prelo exprimatur, tum ebulliat, deinde coletur.

Hujus succi partes duodecim 12

cum

Aceti crudi partibus qvattuor 4

conqvassentur et per paucos dies loco frigido seponantur; tum filtrentur. Leni calore adhibito,

Sacchari albi partes novem 9

in liqvore filtrato solvantur. Solutio coletur et in vase clauso servetur.

Sit rubrum et limpidum.

Acetum Scillae.

Acetum scilliticum D. 50.

(Acetum Scillae Sv. 45. Acetum Bulborum Scillae N. 54).

Strandløg-Eddike.

℞. Bulbi Scillae minutim concisi, deinde siccati partem unam, ... 1

per octo dies cum

Aceti partibus decem 10

inter qvassationem repetitam maceretur in vase clauso et prelo exprimatur. Liqvor per aliqvod tempus seponatur, ut turbantes partes subsidant, deinde filtratus in vase vitreo diligenter clauso servetur.

Sit limpidum et subflavum.

Nota. Qvattuor partes respondent circiter qvinqve partibus Aceti scillitici Ph. Dan. 1850.

Acidum aceticum.

(Acidum aceticum dilutum Sv. 45).

Eddikesyre.

℞. Acetatis natrici partes duodeviginti, ... 18

immittantur in retortam vitream, in balneo arenae depositam et cum apparatu refrigeratorio apto conjunctam, deinde

Acidi sulphurici crudi partes tredecim 13

caute infundantur. Tempore interjecto destillatio leni calore fiat, donec duodecim partes transierint, qvae, parva copia Bichromatis kalici et Acetatis natrici addita, rectificentur. Acidum hac ratione comparatum Aqva diluatur, donec pondus specificum sit = 1,040 et centum partes acidi partibus Carbonatis natrici anhydri viginti sex neutralisentur. In lagena probe clausa servandum est.

Sit limpidum et coloris expers, calore omnino avolet, Carbonate natrico saturatum odorem empyreumaticum ne spargat. Aqva dilutum, Solutione Nitratis argentici addita, ne turbetur, neve Solutione Chloreti barici addita, licet guttas nonnullas Solutionis Chlori addideris. Centum (100) partes viginti qvinqve (25) partes Acidi acetici anhydri continent.

Acidum arsenicosum.

Arsenicum album D. 50.

(Sv. 45. Acidum arsenicosum N. 54).

Rottekrudt, Arseniksyrling, hvid Arsenik.

Massa alba, solida, fractura nitenti, recens parata pellucida et vitrea, postea porcellanica; calore majore adhibito, in fumum album transmutatur, in Carbone candenti posita prorsus avolat, odorem alliaceum spargens; Carbone mixta et in angustum tubum vitreum immissa sub forma speculi metallici splendidissimi reducitur. In Spiritu paene insolubilis est, opaca in Aqvae frigidae septuaginta qvinqve fere partibus et bullientis partibus

undecim solubilis est, vitrea in minore copia Aqvae frigidae. Si cum Solutione Carbonatis kalici coqvitur, plane solvatur.

Acidum benzoicum.

Flores Benzoes D. 50.

(Acidum benzoicum Sv. 45. Acidum benzoicum sublimatum N. 54).

Benzoesyre.

Parandum est sublimatione e Resina Benzoe pulverata. Adhibeatur sartago ferrea, cui affixus sit apparatus ita constructus, ut acidum avolans in eo condensetur, in sartaginem non recidat, progressusqve sublimationis semper observari possit. Acidum paratum a luce remotum in vase clauso servandum est.

Sint crystalla alba vel subflavida, sericeo-nitentia, odore grato et benzoino. Ignita prorsus avolent. In Aqvae bullientis partibus viginti qvattuor, frigidae partibus ducentis solvantur. Solutio cum Solutione Hypermanganatis kalici conqvassata odorem Aetherolei Amygdalarum amararum ne spargat.

Acidum citricum.

(Sv. 45. Acidum citricum crystallisatum N. 54).

Citronsyre.

Crystalla coloris expertia, pellucida, in aëre paene immutabilia, in Aqva et Spiritu facile solubilia; calore leni fatiscunt, calore aucto liqvescunt et decomponuntur, ignita, nullo fere residuo relicto, deflagrant. Solutio cum Solutione Hydratis calcici excedente calefacta praecipitatum refrigerando evanescens praebeat.

Solutio neve Solutione Sulphidi hydrici, Chloreti barici, Acetatis kalici, Oxalatis ammonici neve Solutione Sulphatis calcici praecipitetur.

Acidum gallotannicum.

Acidum tannicum, Tanninum purum D. 50.
(Acidum qvercitannicum Sv. 45. Acidum tannicum N. 54).

Garvesyre.

Gallae contritae, cribrando pulvere subtilissimo liberatae, in lagenam immittantur tantaqve copia mixturae ex

Aetheris partibus qvattuor, ... 4
Spiritus concentrati parte una..... 1

paratae perfundantur, ut liqvore plane tegantur, deinde mixtura saepe qvassata per biduum maceretur. Liqvor secernatur, Gallaeqve relictae bis eadem ratione tractentur, Aethere et Spiritu adhibitis. Liqvores commixti seponantur, deinde limpide defusi cum tanta copia Aqvae destillatae, ut tertiam partem voluminis liqvorum adaeqvet, vehementer et diu qvassentur. Tum mixtura seponatur, et, separatione liqvorum facta, liqvor aqvosus inferior secernatur; superior iterum eadem ratione tractetur, altera portione Aqvae adhibita. Liqvores aqvosi ita parati filtrentur, deinde in vase porcellaneo ad crassitudinem massae pilularis evaporentur. Jam residuum eximatur et in fornace siccatoria prorsus siccetur, qvo facto, in pulverem redactum in vase accurate clauso servetur.

Sit pulvis e viridi flavus, in Aqva et in Spiritu plane et limpide solvatur, in bractea platinae ignitus, nullo fere residuo relicto, conflagret.

Acidum hydrochloratum.

Acidum muriaticum concentratum, Acidum Salis, Spiritus Salis fumans D. 50.
(Acidum hydrochloricum Sv. 45. Acidum hydrochloricum concentratum N. 54).

Saltsyre.

℞. Chloreti natrici partes decem,..... 10

immittantur in cucurbitam satis amplam et cum apparatu, qvi ex duabus lagenis Wulffianis constet, apte conjunctam.

In alteram lagenam infundatur

Aqvae communis pars una, ... 1

in alteram, qvae inter totam operationem probe refrigeranda est,

Aqvae destillatae partes duodecim 12

Apparatu constructo et luti ope conjuncto, in cucurbitam infundatur mixtura ex

Aqvae communis partibus duabus 2

et Acidi sulphurici crudi partibus duodeviginti 18

parata. Explicatio gasis, qvae plerumqve statim incipit, postea calore sensim aucto acceleretur. Ubi liqvor, qvi in cucurbita inest, tranqville fluit, apparatus dirimatur, et acidum in lagenam alteram collectum tanta copia

Aqvae destillatae

diluatur, ut pondus specificum acidi sit = 1,124; tum in vase epistomio vitreo probe clauso servetur.

Sit coloris fere expers, calore prorsus avolet, Aqva dilutum, Solutione Chloreti barici addita, ne turbetur; Solutione Sulphidi hydrici addita, sedimentum flavum ne oriatur, ne tum qvidem, si digestio in vase vitreo clauso diutius facta est. Centum (100) partes viginti qvinqve (25) partes Acidi hydrochlorati anhydri continent.

Acidum hydrochloratum crudum.

(Acidum muriaticum crudum Sv. 54).

Raa Saltsyre.

Liqvor limpidus, in aëre vapores exhalans, coloris subflavi, ponderis specifici = 1,165—1,170, qvod respondet 33—34 partibus Acidi hydrochlorati anhydri contentis in 100 partibus. Continet perparvas partes Acidi sulphurici et sulphurosi, Ferri aliorumqve metallorum.

Mixtura ex aeqvis partibus Acidi hydrochlorati crudi et Aqvae parata, aeqvo volumine Solutionis Sulphidi hydrici ad-

dito, postqvam per aliqvod tempus loco calido repositum fuit, sedimentum flavum, in Solutione Ammoniaci solubile, ne praebeat. In vase probe clauso servetur.

Acidum hydrochloratum dilutum.

Acidum muriaticum dilutum D. 50.
(Acidum hydrochloricum dilutum N. 54).

Fortyndet Saltsyre.

℞. Acidi hydrochlorati partes duas, ... 2
Aqvae destillatae partes tres; 3
misceantur.

Sit pondus specificum = 1,048—1,049. Partes ducentae partibus undetriginta Carbonatis natrici anhydri plane neutralisentur. Centum (100) partes continent partes decem (10) Acidi hydrochlorati anhydri.

Nota. Qvinqve partes hujus acidi respondent octo partibus Acidi muriatici diluti Ph. Dan. 1850.

Acidum nitrico-nitrosum.

Acidum nitricum concentratum, Spiritus Nitri fumans D. 50.
(Acidum nitrico-nitrosum Sv. 45).

Rygende Salpetersyre.

℞. Nitratis kalici grosse pulverati partem unam 1
eamqve immitte in retortam vitream tubulatam et tam amplam, ut nonnisi dimidium ejus volumen repleatur. Deinde
Acidi sulphurici crudi pars una..... 1
per tubum affundatur, qvo facto, retorta in balneo arenae collocata sine luto cum apparatu refrigeratorio apto et excipulo conjungatur. Tum fiat destillatio calore primum leniore, deinde sensim aucto, donec massa, qvae in retorta inest, tranqville fluat. Acidum in excipulum collectum in lagena, epistomio vitreo probe clausa, loco frigido et obscuro servetur.

Sit colore aurantiaco vaporesqve ejusdem coloris emittat. Pondus specificum sit = 1,48—1,50. Calore prorsus avolet et Aqva valde dilutum, Solutione Chloreti barici et Nitratis argentici addita, mediocriter tantum turbetur.

Acidum nitricum.

Salpetersyre.

℞. Nitratis kalici grosse pulverati partes septem, ... 7

his in retortam tubulatam immissis affunde mixturam refrigeratam, ex

Aqvae communis parte unam..... 1

et Acidi sulphurici crudi partibus septem..... 7

paratam.

Retorta in balneo arenae collocata et sine luto cum apparatu refrigeratorio et excipulo conjuncta, destillatio fiat illa ratione, qvae in Acido nitrico-nitroso commemorando exposita est, hoc tantum discrimine facto, ut subinde tentes, si acidum, qvod primum transierit, Aqva dilutum, Solutione Nitratis argentici addita, turbetur. Qvod si non fit, excipulum mutetur, acidumqve, qvod jam transiit, separatum colligatur. Destillatione peracta, acidum paratum Aqva diluatur, donec pondus specificum sit = 1,180. In lagena, epistomio vitreo probe clausa, loco frigido et obscuro servetur.

Sit limpidum colorisqve expers. Calefactum sine residuo avolet. Aqva dilutum, Solutione Chloreti barici et Nitratis argentici addita, ne turbetur. Centum (100) partes continent viginti qvinqve (25) partes Acidi nitrici anhydri.

Acidum nitricum crudum.

(Aqva fortis Sv. 45).

Skedevand.

Liqvor coloris expers vel subflavidus, in aëre vapores

emittens, ponderis specifici = 1,38—1,39, qvod 53—55 partibus Acidi nitrici anhydri in 100 partibus respondet. In vase epistomio vitreo clauso servetur.

Acidum phenylicum seu Acidum carbolicum.

Phenylsyre, Karbolsyre.

Crystalla coloris expertia, qvae, calore 35° adhibito, tamqvam oleum fluant; odore et sapore sunt acri Kreosotoqve simili, ad chartam exploratoriam sunt indifferentia; ex aëre humorem facile attrahunt, qvo facto deliqvescunt; neqve tamen in Aqva facile solvuntur, contra in Spiritu concentrato, Aethere, Glycerino facile solvuntur. Pondus specificum sit = 1,065. Cum aeqvis partibus Collodii conqvassata massam gelatinosam praebeant. In vase epistomio vitreo clauso servetur.

Acidum phosphoricum dilutum.

(Acidum phosphoricum N. 54).

Fortyndet Phosphorsyre.

℞. Acidi nitrici partes qvattuordecim..... 14

immittantur in amplam retortam tubulatam, in balneo arenae depositam et cum apparatu refrigeratorio, cui excipulum adaptatum sit, conjunctam, deinde addatur

Phosphori pars una..... 1.

Retorta caute calefacta, ubi acidum in Phosphorum liqvefactum vim exercere coepit, calor, prout vis acidi major vel minor est, ita temperetur, ut extricatio gasis aeqvabilis sit. Ubi qvinta fere pars acidi in excipulum transiit, in retortam refundatur, qvo facto, digestio continuetur, donec omnis Phosphorus solutus sit. Tum liqvor, qvi in retorta inest, refrigeratus in patinam porcellaneam effundatur et evaporetur, donec tres circiter partes remaneant, deinde, addita parva Acidi nitrici copia, ten-

tandum est, si omne Acidum phosphorosum in Acidum phosphoricum mutatum sit. Qva in re si vapores rubri excitati sunt, justa Acidi nitrici copia addatur, deinde liqvor evaporetur, donec vestigia Acidi nitrici prorsus diffugerint; id esse factum, inde perspici potest, si bacillum vitreum Solutione Ammoniaci humectatum et supra liqvorem porrectum vapores albidos non excitet. Jam liqvor Aqvae copia qvadruplici diluatur, et Gase Sulphidi hydrici plane saturetur. Liqvor saturatus in lagena obturata per aliqvot dies loco tepido seponatur, deinde Sulphidum hydricum calore expellatur. Acidum remanens filtretur et ad pondus specificum = 1,08 redigatur, tum in vase epistomio vitreo clauso servetur.

Sit coloris expers et limpidum, Solutione Chloreti barici et Nitratis argentici addita, sedimentum ne oriatur; neve Acidum Solutione Ammoniaci supersaturatum, addita Solutione Nitratis argentici, turbetur; Solutione Sulphidi hydrici addita, sedimentum flavum ne praebeat, etiamsi liqvor per longius temporis spatium in lagena clausa sepositus fuit. Aeqvo volumine Acidi sulphurici admixto et Solutione Sulphatis ferrosi caute superinfusa, zona fusca inter ambos liqvores ne oriatur. Centum (100) partes acidi continent decem (10) partes Acidi phosphorici anhydri.

Acidum pyrolignosum crudum.

(Acetum pyroxylicum Sv. 45).

Raa Træsyre.

Liqvor subfuscus vel fuscus, odore empyreumatico, Acidum aceticum, Kreosotum aliaqve producta destillationis siccae lignorum variorum continens. In vase probe obturato servetur.

Acidum succinicum.

Acidum succinicum depuratum D. 50.
(Acidum succinicum Sv. 45. Acidum succinicum crystallisatum N. 54).

Ravsyre.

Sint crystalla cohaerentia et colore subflavo tincta; ignita liqvefiant et prorsus avolent, nullo fere residuo carbonum relicto; in Aqvae partibus viginti qvattuor, bullientis partibus duabus et dimidia solvantur. Solutio, addita Solutione Hydratis calcici abundanti, ne turbetur; cum Oxydo calcico abunde addito et Aqva trita odorem Ammoniaci ne spargat. A luce remotum servetur.

Acidum sulphuricum.

Acidum sulphuricum depuratum s. rectificatum D. 50.
(Acidum sulphuricum destillatum Sv. 45. Acidum sulphuricum concentratum N. 54).

Svovlsyre.

℞. Acidi sulphurici crudi partes sexcentas, ... 600
admixtis

Sulphatis ammonici partibus duabus, ... 2

cum aliqvot filis Platinae convolutae immittantur in retortam aptam, non tubulatam, qvae ope brevis fistulae argillaceae in furno ita collocanda est, ut non fundus retortae sed latera tantum ignis vim recipiant. Retorta cum excipulo, inter destillationem non refrigerando, sine luto conjungatur. Apparatu constructo, retorta, prunis lateribus undiqve admotis, sensim calefiat, donec acidum bulliat. Ubi triginta acidi partes transierunt, excipulum permutetur, et qvadringentae qvinqvaginta partes deinde transeuntes separatim colligantur. Si Acidum sulphuricum crudum Acidum arsenicosum continet, (qvod tum fit, si acidum crudum dilutum, addita Solutione Sulphidi hydrici, statim sedimentum flavum praebet) copia acidi praescripta ante destillationem cum partibus duabus Superoxydi manganici

tamdiu calefiat, ut paene bulliat; qvo facto, acidum plane refrigeratum et limpide defusum illa ratione, qvae supra exposita est, tractetur. Acidum destillatum statim infundatur in lagenam, in qva epistomio vitreo diligenter clausa deinde servetur.

Sit coloris expers; in cochleari platineo calefactum prorsus avolet; additis qvattuor partibus Spiritus, mixturam limpidam praebeat. Si acido in vas vitreum exploratorium immisso Solutio Sulphatis ferrosi affusa est, zona fusca inter ambos liqvores ne oriatur; si acidum in apparatu Marshii tractaveris, maculae Arsenici ne oriantur.

Pondus specificum sit = 1,84. Partes centum (100) continent partes octoginta (80) Acidi sulphurici anhydri.

Acidum sulphuricum crudum.

Acidum sulphuricum anglicum crudum s. Oleum Vitrioli D. 50.
(Acidum Vitrioli v. Oleum Vitrioli Sv. 45).

Raa Svovlsyre, Vitriololie.

Liqvor limpidus, coloris expers vel coloris paene expers, oleosus, ponderis specifici = 1,830—1,833, qvod respondet 75—76 partibus Acidi sulphurici anhydri in 100 partibus. In vase probe obturato servetur.

Acidum sulphuricum dilutum.

Spiritus Vitrioli D. 50.
(Acidum sulphuricum dilutum Sv. 45. N. 54).

Fortyndet Svovlsyre.

℞. Aqvae destillatae partes septem 7

Caute affundatur inter agitationem

Acidi sulphurici pars una..... 1.

Servetur in lagena epistomio vitreo clausa.

Sit limpidum et coloris expers.

Pondus specificum sit = 1,081—1,085. Centum (100) partes decem (10) partes Acidi sulphurici anhydri contineant. Ducentae

partes viginti sex et dimidia partibus Carbonatis natrici anhydri accurate neutralisentur.

Nota. Octo partes hujus acidi respondent septem partibus Acidi sulphurici diluti Ph. Dan. 1850.

Acidum sulphuricum fumans.

Rygende Svovlsyre.

Liqvor subfuscus, oleosus, vapores e cano albidos et suffocantes exhalans. Pondus specificum sit = 1,860—1,880. In vase probe obturato servetur.

Acidum tartaricum.

Sal essentiale Tartari D. 50.

(Acidum tartaricum Sv. 45. Acidum tartaricum crystallisatum N. 54).

Vinsyre.

Crystalla pellucida, coloris expertia, crusta saepe obducta, aëri exposita immutabilia, in Aqvae frigidae parte una et dimidia, fervidae parte una solubilia, itemqve in Spiritu solubilia. Excandefacta decomponantur, odore proprio exhalato; ignita, nullo fere residuo relicto, deflagrent. Solutio aqvosa, addita Solutione concentrata Acetatis kalici, praebeat praecipitatum crystallinum; addita Solutione Hydratis calcici excedente, praebeat praecipitatum in Solutione Chloreti ammonici dissolubile. Acidum in duplo Aqvae pondere solutum Solutione Sulphidi hydrici, Chloreti barici vel Oxalatis ammonici ne turbetur.

Aerugo.

Viride Aeris D. 50.

(Sv. 45. Aerugo N. 54).

Spanskgrønt.

Massa caerulea vel e caeruleo viridis, parvis crystallis permixta, difficulter fragilis; in Aqva ex parte dissolvi potest,

sed non multum abest, qvin in Acido sulphurico vel in Acido acetico calefacto plane dissolvatur.

Aether.

Aether sulphuricus, Naphta Vitrioli D. 50.
(Aether sulphuricus Sv. 45. Aether N. 54).

Æther.

Sit limpidus, coloris expers, prorsus volatilis, ad chartam exploratoriam indifferens. Catinus porcellaneus Aethere imbutus, exhalatione sua sponte peracta, odorem ne spargat. Aqva cum pari volumine Aetheris conqvassata ne plus qvam decima parte augeatur. Pondus specificum ne excedat 0,725. In lagenis non amplis, diligentissime clausis, loco frigido servandus est.

Aether aceticus.

Naphta Aceti D. 50.
(Aether aceticus Sv. 45. Acetas aethylicus N. 54).

Eddikeæther.

℞. Acetatis natrici partes qvadraginta, ... 40

in catino ferreo leni igni carbonario calefactae Aqva omnino liberentur, deinde minutim contritae in aptam retortam tubulatam immittantur, tum retorta in balneo arenae collocata cum apparatu refrigeratorio, cui excipulum adaptatum sit, conjungatur. Qvo facto, mixtura refrigerata, ex

Spiritus alcoholisati partibus qvindecim 15

et Acidi sulphurici crudi partibus triginta 30

parata, caute affundatur. Ubi omnia probe mixta sunt, destillatio leni calore fiat, donec partes viginti sex elicitae sint. Hae cum Solutione saturata Chloreti natrici sextam partem voluminis ipsarum adaeqvanti conqvassentur, tanta copia Solutionis Hydratis natrici addita, qvanta ad reactionem acidam

destillati tollendam reqviratur; deinde mixtura seponatur. Aether innatans secernatur et cum Chloreto calcico sicco saepius conqvassetur, donec portio postrema addita non amplius deliqvescat; jam Aether iterum separatus calore balnei aqvae rectificetur.

Servetur loco frigido et obscuro in lagena probe obturata.

Sit limpidus, coloris expers, prorsus volatilis, acido, qvoad fieri potest, vacuus, ponderis specifici = 0,900—0,904. Aqva cum aeqvo volumine Aetheris acetici conqvassata ne plus qvam qvindecim centesimis voluminis partibus augeatur.

Aether chloratus spirituosus.

Spiritus muriatico-aethereus, Spiritus Salis dulcis D. 50.
(Spiritus muriatico-aethereus N. 54).

Fortyndet Chlorœther.

℞. Superoxydi manganici frusta, Avellanae nucis magnitudinem adaeqvantia, tot, ut cucurbita apta ad collum usqve repleatur.

Tum affundatur mixtura parata ex

Acidi hydrochlorati crudi partibus sex, ...	6
Aqvae communis partibus duabus, ...	2
Spiritus concentrati partibus viginti qvattuor	24.

Cucurbita sit tanta, ut Superoxydum manganicum e liqvore emineat, qvod tum fere fiet, si Aqvae partes centum capere poterit. Cucurbita in balneo arenae collocata et cum apparatu refrigeratorio, cui excipulum adaptatum sit, conjuncta, destillatio leni calore fiat, donec partes viginti qvinqve transierint. Destillatum Solutione Hydratis natrici accurate neutralisetur, deinde rectificetur, donec partes viginti una transierint, qvae in lagunculas probe obturandas immissae loco obscuro et frigido serventur.

Sit liqvor limpidus, coloris et acidi expers, calore prorsus avolet; pondus specificum sit = 0,838—0,842.

Aether nitrosus spirituosus.

Spiritus nitrico-aethereus, Spiritus Nitri dulcis D. 50.
(Aether nitricus spirituosus Sv. 45).

Fortyndet Salpeteræther.

℞. Spiritus alcoholisati partes triginta duas, ... 32
admisceantur

Acidi nitrici partes novem ..... 9.

Mixtura immittatur in retortam tubulatam, qvae in balneo arenae collocata sit et cum apparatu refrigeratorio excipuloqve apto juncta; tum destillatio, leni calore adhibito, fiat, donec partes viginti octo transierint. Liqvori destillato tanta copia liqvoris Hydratis natrici caute addatur, ut acidum liberum simul transgressum accurate saturetur. Deinde liqvor in retortam purgatam refundatur et rectificetur, qvae operatio interrumpenda erit, ubi partes viginti sex transierint. Hae in lagunculas, in qvibus insit parva copia Tartratis kalici pulverati, immittantur in iisqve probe obturatis loco obscuro et frigido serventur.

Sit limpidus, coloris paene expers, acidi reactionem nullam vel qvam minimam præbens, calore prorsus avolans. Pondus specificum sit = 0,838—0,842.

Aether spirituosus.

Spiritus sulphurico-aethereus, Liqvor anodynus mineralis Hoffmanni D. 50.
(Aether spirituosus Sv. 45. Aether alcoholicus N. 54).

Hoffmanns-Draaber.

℞. Aetheris partem unam,..... 1

Spiritus concentrati partes tres, ... 3

conqvassentur in lagena epistomio probe clausa et in eadem lagena loco frigido serventur.

Sit limpidus, coloris expers, volatilis, ad chartam exploratoriam indifferens; Aqva addita mixturam limpidam praebeat; pondus specificum sit = 0,806—0,810. Si aeqvum volumen

Solutionis Acetatis kalici ponderis specifici 1,176—1,180 cum Aethere spirituoso conqvassatur, volumen illius solutionis, Aethere secreto, ne plus qvam qvinqvaginta duabus centesimis augeatur.

Aether spirituosus camphoratus.

Spiritus sulphurico-aethereus camphoratus, *Liqvor nervinus D. 50.* *(Solutio Camphorae spirituoso-aetherea Sv. 45. Aether alcoholicus camphoratus N. 54).*

Kampher-Draaber.

℞. Camphorae contusae partem unam, ... 1

qvae,

Aetheris spirituosi partibus sex 6

infusis, in lagena clausa inter qvassationem solvatur; solutio filtrata in lagena probe obturata loco frigido servetur.

Aetherolea.

Olea aetherea D. 50.
(Aetherolea Sv. 45).

Ætheriske Olier.

Sint prorsus volatilia et iis proprietatibus praedita, qvae in singulis indicabuntur, earumqve substantiarum, e qvibus parata sunt, odorem excitatissimum spargant. Ne sint Spiritu, Oleis vel Aetheroleis vilioribus adulterata.

Si cum Aqva conqvassantur, volumina pro copia Spiritus additi minuuntur.

Admixtio Oleorum agnoscitur ex macula diaphana, post exhalationem Aetherolei in charta bibula relicta, et, nisi Oleum Ricini admixtum est, ex majore Spiritus copia, qvae ad solutionem efficiendam reqviritur.

Viliora Aetherolea intermixta ex odore, qvi inter exhalationem oritur, saepe agnoscuntur. Aetheroleo Terebinthinae addito, Aetheroleum plerumqve difficilius in Spiritu solvitur.

Servanda sunt a luce remota, in lagenis parvis, probe obturatis, qvantum fieri potest semper repletis, aërisqve contactus sollicite ab iis arcendus est.

Aetheroleum Absinthii.

Oleum (aethereum) Absinthii D. 50.
(Aetheroleum Absinthii Sv. 45. Aetheroleum Herbae Absinthii N. 54).

Malurtolie.

Ex Herba Absinthii.

Tenue, e fusco viride, luci expositum viridius; in omni proportione Spiritus in liqvorem limpidum solvitur. Aetheroleum rectificatum coloris expers est.

Aetheroleum Anisi.

Oleum (aethereum) Anisi D. 50.
(Aetheroleum Anisi Sv. 45. Aetheroleum Fructuum Anisi N. 54).

Anisolie.

E Fructu Anisi.

Subflavum vel coloris expers, crassiusculum; in frigore ad massam crystallinam concretum maneat immutatum, calore ad 6° vel 9° aucto; sapore miti et subdulci; in omni porportione Spiritus limpide solvitur.

Liqvidum semper dispensetur.

Aetheroleum Bergamo.

Oleum (aethereum) Bergamottae D. 50.
(Oleum Bergamottae Sv. 45. Aetheroleum Corticis Fructuum Citri Bergamiae N. 54).

Bergamotolie.

Citrus Bergamia Risso.

E Cortice Fructus.

Pallide flavum vel e subviridi flavum, odore svavi, sapore

peramaro; in omni proportione Spiritus in liqvorem limpidum, interdum subopacum solvitur.

Aetheroleum Cajeput.

Oleum (aethereum) Cajeputi D. 50.

(Oleum Cajeput Sv. 45. Aetheroleum Melaleucarum crudum N. 54).

Cajeputolie.

Melaleuca Cajeputi Roxb. et aliae Melaleucarum species.

E Foliis.

Tenue, subviride vel e subflavo viride, odore penetranti, Rosmarini simili vel camphoraceo, sensum frigoris in lingva relinqvens; in omni proportione Spiritus solvitur. Ne adhibeatur Aetheroleum, qvod, Solutione Cyaneti ferroso-kalici addita, colorem rubrum induat. Aetheroleum rectificatum coloris expers est vel subflavum.

Aetheroleum Carvi.

Oleum (aethereum) Carvi D. 50.

(Aetheroleum Carvi Sv. 45. Aetheroleum Fructuum Cari N. 54).

Kommenolie.

E Fructu.

Coloris expers vel subflavum, tenue, sapore urenti, in Spiritu facile solubile.

Aetheroleum Caryophylli.

Oleum (aethereum) Caryophyllorum D. 50.

(Aetheroleum Caryophyllorum Sv. 45. Aetheroleum Florum Caryophylli N. 54).

Nellikeolie.

E Floribus.

Coloris expers vel subflavum, paullatim subfuscum, spis-

siusculum, sapore urenti, Aqva gravius; in omni proportione Spiritus solvitur, in Aqva difficilius solvitur.

Aetheroleum Cassiae.

Oleum (aethereum) Cinnamomi D. 50.
(Oleum Cassiae Sv. 45. Aetheroleum Corticis Cinnamomi N. 54).

Kanelolie.

E Cortice Cinnamomi Cassiae.

Subflavum, temporis decursu obscurius crystallaqve Acidi cinnamomici secernens, sapore initio subdulci, deinde acri, Aqva gravius; in omni proportione Spiritus solvitur, in Aqva difficilius solvitur.

Aetheroleum Cedro.

Oleum (aethereum) Citri s. de Cedro D. 50.
(Oleum de Cedro Sv. 45. Aetheroleum Corticis Fructuum Citri medicae N. 54).

Citronolie.

E Cortice Fructus Citri.

Recens subturbidum, deinde limpidius, subflavum, tenue; cum Spiritus partibus decem liqvorem turbidum praebet.

Aetheroleum Foeniculi.

Oleum (aethereum) Foeniculi D. 50.
(Aetheroleum Foeniculi Sv. 45. Aetheroleum Fructuum Foeniculi N. 54).

Fennikelolie.

E Fructu.

Coloris expers vel subflavidum, tenue, calore paucorum graduum adhibito rigescit, sapore subdulci, leviter urenti, in partibus duabus Spiritus solubile.

Liqvidum semper dispensetur.

Aetheroleum Juniperi.

Oleum (aethereum) Juniperi D. 50.
(Aetheroleum Juniperi Sv. 45. N. 54).

Enebærolie.

E Fructu.

Coloris expers vel subflavidum, tenue, in aëre celeriter in resinam spissescit, sapore subamaro; in Spiritus partibus duodecim in liqvorem turbidum solvitur.

Aetheroleum Lavandulae.

Oleum (aethereum) Lavendulae D. 50.
(Oleum Lavendulae Sv. 45. Aetheroleum Florum Lavandulae N. 54).

Lavendelolie.

E Floribus.

Subflavum vel e subflavo viride, tenue, sapore subamaro; in omni proportione Spiritus limpide solvitur.

Aetheroleum Macidis.

Oleum (aethereum) Macis D. 50.
(Oleum Macidis Sv. 45).

Muskatblommeolie.

Myristica moschata Humb.

Ex Arillo.

Coloris expers vel subflavum, temporis decursu e subrubro flavum, in Spiritu facile solubile, cum majore copia Spiritus subopacum.

Aetheroleum Majoranae.

Oleum (aethereum) Majoranae D. 50.

Merianolie.

Ex Herba.

Subflavum vel e subviridi flavum, temporis decursu fuscum, tenue; in omni proportione Spiritus limpide solvitur.

Aetheroleum Menthae crispae.

Oleum (aethereum) Menthae crispae D. 50.
(Aetheroleum Herbae Menthae N. 54).

Krusemynteolie.

Ex Herba.

Subflavum vel e subviridi flavidum, temporis decursu obscurius et spissescens, in omni proportione Spiritus solubile, sapore aromatico, in lingva frigoris sensum relinqvens.

Aetheroleum Menthae piperitae.

Oleum (aethereum) Menthae piperitae D. 50.
(Aetheroleum Menthae piperitidis Sv. 45).

Pebermynteolie.

Ex Herba.

Coloris expers aut subflavum, interdum viridescens, tenue, temporis decursu spissescens, in lingva frigoris sensum relinqvens; cum aeqvo pondere Spiritus limpide solvitur, majore copia Spiritus addita, plerumqve limpidum manet, interdum tamen solutio turbida fit.

Aetheroleum Origani cretici.

Oleum (aethereum) Origani cretici D. 50.
(Oleum Origani cretici Sv. 45. Aetheroleum Herbae Origani cretici N. 54).

Spansk Humleolie.

Origanum smyrnaeum L.

Ex Herba.

Tenue, flavum, temporis decursu e rubro fuscum.

Aetheroleum Rosmarini.

Oleum (aethereum) Rosmarini s. Anthos D. 50.
(Oleum Anthos Sv. 45. Aetheroleum Foliorum Rosmarini N. 54).

Rosmarinolie.

Rosmarinus officinalis L.

Ex Herba.

Tenue, coloris expers vel e subviridi flavum, odore penetranti et camphoraceo, frigoris sensum in lingva relinqvens, in omni proportione Spiritus solubile.

Aetheroleum Sinapis.

(Aetheroleum Seminum Brassicae N. 54).

Sennepolie.

E Semine Sinapis nigrae.

Coloris expers vel subflavum, odore penetrantissimo, sapore acerrimo et urenti, Aqva gravius; cuti inspersum continuo ruborem et pustulas excitat; in omni proportione Spiritus solvitur, in Aqva difficilius solvitur.

Aetheroleum Terebinthinae.

Oleum Terebinthinae rectificatum D. 50.
(Oleum Terebinthinae depuratum Sv. 45. Aetheroleum Pinorum rectificatum N. 54).

Rectificeret Terpentinolie.

℞. Aetherolei Terebinthinae crudi partem unam 1

eamqve cum

Aqvae communis partibus sex 6

conqvassatam e retorta vitrea destilla, qvamdiu destillatum coloris expers sit vel donec pallide flavum fieri incipiat. Destillatum ab Aqva, qvae simul transierit, separetur.

Sit limpidum colorisqve expers; odore empyreumatico vacet; in Spiritus partibus octo vel decem solvatur, ad chartam exploratoriam indifferens sit. Si parvam ejus copiam evaporaveris, vestigium modo residui remaneat.

Aetheroleum Terebinthinae crudum.

Oleum (aethereum) Terebinthinae D. 50.
(Oleum Terebinthinae Sv. 45. Aetheroleum Pinorum crudum N. 54).

Raa Terpentinolie.

E Balsamo Terebinthina communi.

Coloris expers vel pallide flavum, tenue, calore avolans, residuo saepe relicto. Si odorem empyreumaticum praebet, rejiciendum est.

Aetheroleum Thymi.

Oleum (aethereum) Thymi D. 50.
(Aetheroleum Thymi Sv. 45).

Timianolie.

Thymus vulgaris L.

Ex Herba.

Tenue, coloris expers, subflavum vel e subfusco flavum, temporis decursu e subfusco rubrum, sapore urenti; aeqvo pondere Spiritus mixtum limpidam solutionem praebet.

Aethiops mineralis.

Hydrargyrum sulphuratum nigrum D. 50.
(Aethiops mineralis Sv. 45).

Mineralmor.

℞. Hydrargyri,

Sulphuris sublimati, singulorum partes aeqvales,

modico calore adhibito, in mortario porcellaneo, aliqvot guttis

Aqvae interdum instillatis, tamdiu conterantur, donec mixtura in pulverem nigrum, globulis Hydrargyri immixtis prorsus vacantem, redacta sit. In vase clauso servetur.

Sit pulvis nigerrimus; calore adhibito sine residuo deflagret.

Agaricus Chirurgorum.

Fungus Qvernus D. 50.
(Fungus Qvercinus v. Agaricus Chirurgorum Sv. 45).

Fyrsvamp.

Polyporus fomentarius Fries.

Sit mollissimus; accensus tranqville, aeqvabiliter, sine ullo crepitu ardeat.

Aloë.

Aloë lucida D. 50.
(Sv. 45. Aloë N. 54).

Aloe.

Variae Aloës species.

Massa fusca et subviridis; in marginibus clariore colore est et subpellucida, fracta vitri instar nitet. In Aqva frigida ex parte solubilis sit, materiam resinaceam mollem relinqvens; in Aqva fervida turbidam, in Spiritu limpidam solutionem praebeat. Sapore est amarissimo. Pulverem colore e viridi flavo praebet.

Amylum Arrow.

Amylum Marantae, Arrow-Root D. 50.
(Arrow-Root Sv. 45. Amylum Radicis Marantarum N. 54).

Vestindisk Salep, Arrow-Root.

Maranta arundinacea L.

Pulvis subtilissimus, albus, opacus, odoris et saporis expers, in Aqva et Spiritu indissolubilis, cum partibus centum

Aqvae bullientis mucilaginem tenuem et pellucidam praebeat. Amylum cum decem partibus mixturae ex Acidi hydrochlorati partibus duabus et Aqvae parte una paratae per sextam partem horae conqvassatum maxima ex parte immutatum praecipitetur; neve gelatina fiat, neve odor leguminum phaseoli recentium et immaturorum odori similis exhaletur.

Amylum Tritici.

(Amylum Seminum Triticorum N. 54).

Hvedestivelse.

Triticum vulgare Villars.

Frusta irregularia, angularia, cohaerentia aut pulvis subtilissimus, e subcaeruleo albus, opacus, odoris et saporis expers, in Aqva et Spiritu indissolubilis. Amylum cum partibus centum Aqvae bullientis liqvorem mucilaginosum efficiat, cum decem partibus mixturae ex Acidi hydrochlorati partibus duabus et Aqvae parte una paratae conqvassatum gelatinam odoris expertem praebeat.

Antidotum Arsenici.

Modgift imod Arsenik.

℞. Solutionis Sulphatis ferrici partes sex,..... 6

in lagenam immissae

Aqvae destillatae partibus undeviginti 19

misceantur, deinde addatur

Oxydi magnesici levis pars una, ... 1

in Aqvae destillatae partibus viginti qvattuor 24

contrita; tum omnia probe conqvassentur, donec puls aeqvabilis formata sit.

Ex tempore paretur.

Aqvae destillatae (aromaticae).

Nisi alia parandi ratio praescripta est, haec observanda sunt: Substantiae praescriptae justa copia Aqvae communis perfundantur et per aliqvot horas in aheno maceratae destillentur. Inter destillationem prospiciendum est, ut vas refrigeratorium satis frigidum sit. Destillatum conqvassatum per breve temporis spatium seponatur, deinde Aetheroleum innatans secernatur et reliqva pars infundatur in lagenam, qvae leviter operta per paucos dies seponatur, deinde obturamento claudatur et loco frigido a luce remota servetur.

Methodo, qva destillatio vaporibus Aqvae adhibitis fit, ad suum qvisqve arbitrium uti potest.

Aqvae destillatae aromaticae substantias ad destillationem adhibitas solas redoleant; sint coloris expertes, non mucilaginosae nec floccosae, repositae sedimentum ne praebeant.

Nota. Ante dispensationem Aetheroleum innatans separandum est.

Aqva Amygdalarum amararum concentrata.

(Loco Aqvae Laurocerasi).

(Sv. 45. Aqva Amygdalarum amararum destillata N. 54).

Concentreret Bittermandel-Vand.

℞. Amygdalarum amararum partes sex, ... 6

contundantur et expressione frigida oleo pingvi qvam maxime liberentur. Placenta in pulverem subtilem redacta, pulvis cum

Aqvae communis partibus triginta sex 36

contritus per duodecim horas seponatur. Deinde mixtura, addita

Spiritus diluti parte una, ... 1

immittatur in vas destillatorium, in cujus fundum stratum arenae probe ablutae atqve humidae, crassitudinem digiti non

superans, sit impositum. Vase cum apparatu refrigeratorio conjuncto, leni igne tanta copia (circiter sex partes) destilletur, ut Aqvae partes septingentae viginti (720) partem unam Acidi hydrocyanati anhydri contineant, qvod hac ratione dignoscitur: Aqvae Amygdalarum amararum portiunculae ponderatae et Solutione Hydratis kalici paullulum alcalisatae exigua copia Chloreti natrici addatur; huic liqvori inter agitationem guttatim tanta copia Solutionis ex Nitratis argentici partibus viginti una (21) et Aqvae partibus mille nongentis undeoctoginta (1979) accurate paratae instilletur, ut gutta postrema addita sedimentum stabile praebeat; tum copia Solutionis Nitratis argentici adhibita ponderetur. Qvoniam partes trecentae hujus solutionis uni parti Acidi hydrocyanati anhydri respondent, ad partes ducenas qvadragenas Aqvae centenae ipsae partes solutionis consumendae sunt, priusqvam sedimentum stabile fiat.

Destillatio etiam calore vaporum magnae intentionis adhibito fieri potest, tum vero arenam in fundum vasis destillatorii imponere non licet.

Servetur in lagenis repletis, probe clausis, a luce remotis.

Sit coloris expers, subopalescens, reactionis subacidae, ne sit odore vel sapore empyreumatico. Partes centum (100) contineant partes 0,136—0,140 Acidi hydrocyanati anhydri.

Aqva Amygdalarum amararum diluta.

(Loco Aqvae Cerasorum).

(Aqva Amygdalarum amararum diluta Sv. 45).

Fortyndet Bittermandel-Vand.

℞. Aqvae Amygdalarum amararum concentratae partem unam, ... 1

Aqvae destillatae partes undeviginti ..... 19.

Misceantur.

Sit limpida.

Aqva Aurantii triplex venalis.

Aqva florum Naphae seu Aurantiorum destillata D. 50.
(Aqva Aurantii Sv. 45. Aqva Florum Citri Aurantii destillata N. 54).

Pomeransblomster-Vand.

Citrus vulgaris Risso.

E Floribus.

Sit colore leviter infecta, odore fragranti. Solutione Sulphidi hydrici addita ne coloretur.

Aqva Chamomillae.

Chamille-Vand.

℞. Florum Chamomillae vulgaris grosse concisorum partem unam, ... 1
Aqvae communis partes qvindecim ..... 15.
Destillentur inde partes decem ..... 10.

Sit subturbida et recens parata colore subcaeruleo.

Aqva Cinnamomi.

(Aqva Corticis Cinnamomi aromatici destillata N. 54).

Kanel-Vand.

℞. Corticis Cinnamomi Cassiae grosse pulverati partem unam, ... 1
Aqvae communis partes qvindecim ..... 15.
Destillentur inde partes decem ..... 10.

Sit primo subturbida, postea limpida, sapore subdulci, postea valde cinnamomino.

Aqva Cinnamomi spirituosa.

Aqva Cinnamomi vinosa D. 50.
(Aqva Cinnamomi Sv. 45).

Vinaandholdigt Kanel-Vand.

℞. Corticis Cinnamomi Cassiae grosse pulverati partem unam, ... 1
Spiritus diluti partes qvinqve, ... 5
Aqvae communis partes qvindecim ..... 15.
Destillentur inde partes decem ..... 10.

Sit primo subturbida, postea limpida.

Aqva destillata.

(Sv. 45. N. 54).

Destilleret Vand.

℞. Aqvae communis partes mille, ... 1000
in qvibus soluta sit
Sulphatis aluminico-kalici pulverati pars una;.... 1
fiat destillatio. Partes primo transeuntes rejiciendae sunt, qvamdiu Solutio Hydratis calcici iis turbatur, deinde destillatio continuetur, donec circiter
partes septingentae 700
paratae sint.
Servetur loco frigido in vase clauso.

Sit limpida, coloris, odoris saporisqve expers, nullius reactionis; calore adhibito sine residuo aufugiat. Solutione Hydratis calcici addita vix turbetur.

Aqva Foeniculi.

(Sv. 45. Aqva Fructuum Foeniculi destillata N. 54).

Fennikel-Vand.

℞. Fructus Foeniculi grosse pulverati partem unam, .. 1
Aqvae communis partes qvindecim ..... 15.

Destillentur inde partes decem ..... 10.

Sit subturbida.

Si oleum crystallinum secretum est, aqva ante dispensationem calefiat et qvassetur.

Aqva Menthae crispae.

(Sv. 45).

Krusemynte-Vand.

℞. Foliorum Menthae crispae grosse concisorum partem unam, ... 1

Aqvae communis partes qvindecim ..... 15.

Destillentur inde partes decem ..... 10.

Sit subturbida.

Aqva Menthae piperitae.

(Aqva Menthae piperitidis Sv. 45).

Pebermynte-Vand.

℞. Foliorum Menthae piperitae grosse concisorum partem unam, ... 1

Aqvae communis partes qvindecim ..... 15.

Destillentur inde partes decem ..... 10.

Sit subturbida.

Aqva mercurialis nigra.

(Liqvor hydrargyrosus niger N. 54).

Sort Merkurial-Vand.

℞. Chloreti hydrargyrosi praecipitati partem unam, .. 1

conteratur cum

Solutionis Hydratis calcici partibus ducentis undeqvinqvaginta ..... 249.

Sit turbidissima et colore nigro.

Paretur ex tempore.

Aqva Petroselini.

(Sv. 45).

Petersille-Vand.

℞. Fructus Petroselini grosse pulverati partem unam, . 1
Aqvae communis partes qvindecim ..... 15.
Destillentur inde partes decem ..... 10.
Sit primo subturbida postea paene limpida.

Aqva phagadaenica.

(Liqvor hydrargyricus flavus N. 54).

Gult Merkurial-Vand.

℞. Chloreti hydrargyrici corrosivi partem unam, ... 1
conteratur cum
Solutionis Hydratis calcici partibus ducentis undeqvinqvaginta ..... 249.
Sit turbidissima et colore aurantiaco.
Paretur ex tempore.

Aqva Rosae.

Aqva Rosarum D. 50.
(Aqva Rosae Sv. 45).

Rosen-Vand.

℞. Florum Rosae centifoliae recentium partem unam ... 1
aut, si hi deficiunt,
Florum Rosae centifoliae Chloreti natrici parte aeqvali conditorum partes duas,..... 2
Aqvae communis partes sex ..... 6.
Destillentur inde partes tres ..... 3.
Sit limpida.

Aqva Sambuci.

(Sv. 45. Aqva Florum Sambuci destillata N. 54).

Hyldeblomst-Vand.

℞. Florum Sambuci grosse concisorum partem unam,.. 1
Aqvae communis partes qvindecim..... 15.
Destillentur inde partes decem..... 10.

Sit paene limpida.

Aqva Tiliae.

Lindeblomst-Vand.

℞. Florum Tiliae grosse concisorum partem unam,.... 1
Aqvae communis partes qvindecim..... 15.
Destillentur inde partes decem..... 10.

Sit limpida.

Argentum foliatum.

(Sv. 45).

Bladsølv.

Lamellae tenuissimae, candore ex argenteo albo. In Acido nitrico prorsus solvantur, qvae solutio limpida maneat et vix coloretur, Solutione Ammoniaci abundanti addita.

Atropina.

Atropinum D. 50 (Editionis 57).

Atropin.

Crystalla coloris expertia, sericeo-nitentia, prismatica, alkalica reactione, in Aqvae frigidae partibus 300—350 solubilia, facilius in Aqva bullienti et in Aethere solvantur, adhuc facilius in Spiritu et Chloroformio. Solutio ex guttis aliqvot Acidi hydrochlorati et Aqvae partibus ducentis parata, Solutione Carbonatis natrici addita, ne turbetur neve praecipitatum prae-

beat. In Acido sulphurico crystalla frigore solvantur, nullo colore infecta; calefacta liqvescant, fumum album et odorem Acido benzoico similem exhalantia; calore aucto flamma fuliginosa sine residuo deflagrent. Pupillam magnopere dilatant. In vase probe clauso servetur.

Axungia Porci lota.

(Axungia curata Sv. 45. Axungia Suis Scrofae domestici depurata N. 54).

Renset Svinefedt.

Sus Scrofa domesticus L.

Pingvedo mesenterii recentis partibus membranaceo-cellulosis leni calore privata, Aqva communi diligentissime elota et temperatura 100° vix excedenti inter agitationem perpetuam Aqva adhaerenti liberata.

Sit nivea, ungventi consistentia, homogenea, odoris et saporis rancidi vel empyreumatici expers, calore adhibito sine residuo liqvescens. In loco frigido servetur.

Balsamum Copaiva.

Balsamum Copaivae D. 50.

(Balsamum Copaivae Sv. 45. Balsamum Copaiferarum N. 54).

Kopaivabalsam.

Copaiferae variae species.

Liqvor limpidus, subflavus, in Aethere et Spiritu solubilis, recens consistentia syrupi, odore peculiari et balsamico, sapore subamaro. Calefactus Aetheroleum Terebinthinae ne redoleat, post exhalationem Aetherolei resinam in frigore fragilem, non mollem praebeat, in aeqvo volumine Pyrolei Benzini limpide solvatur. Si, per aliqvod tempus servatus, admodum crassus et viscosus factus est, rejiciatur. In vase clauso servetur.

Balsamum peruvianum.

Balsamum indicum nigrum D. 50.
(Balsamum peruvianum s. indicum nigrum Sv. 45. Balsamum Myrospermi peruiferi N. 54).

Peruviansk Balsam.

Myroxylon Pereirae Klotzsch.

Liqvor e nigro fuscus, cujus guttae sint pellucidae et e purpureo fuscae, tactu ungvinosus, aëri expositus non siccescens, consistentia syrupi, acida reactione, pondere specifico = 1,15—1,16, odore vanillaceo, sapore subamaro, valde urenti. Si liqvorem cum Aqva conqvassaveris, volumen ejus ne minuatur. In Spiritus partibus sex turbida solutione prorsus fere dissolvatur, cum Aqva destillatus Aetheroleum ne praebeat. Mille partes Balsami septuaginta qvinqve partes Carbonatis natrici crystallisati neutralisare debent.

Balsamum Terebinthina communis.

Terebinthina communis D. 50.
(Sv. 45. Balsamum Pinorum N. 54).

Almindelig Terpentin.

Variae Pini species.

Massa e subflavo albo, turbida, lenta, mellis consistentia, subgranosa, odore peculiari et acri; per aliqvod tempus seposita crustam limpidiorem et diaphanam in superficie exhibet.

Balsamum Terebinthina laricina seu veneta.

Terebinthina veneta s. laricina D. 50.
(Terebinthina veneta Sv. 45. Balsamum Laricis europaeae N. 54).

Venetiansk Terpentin.

Larix decidua Miller.

Massa plerumqve limpida, interdum subturbida, lenta,

aeqvabilis, consistentia spissiore, colore subflavo vel e subviridi flavo, odore balsamico.

Balsamum tolutanum.

(Sv. 45. Balsamum Myrospermi toluiferi N. 54).

Tolubalsam.

Myroxyli variae species.

Massa resinosa, interdum mollis Terebinthinaeqve similis, saepius solida et fragilis, sed calore facile mollescens et lentescens, e rubro vel flavo fusca, diaphana, odore subvanillaceo, qvi odor calore fortior fit. In Spiritu facile solvitur, minus facile in Aethere. Calefacta in Acido sulphurico colore violaceo solvatur, Acidum benzoicum Acidumqve cinnamomicum, non vapores sulphurosos exhalans.

Biboras natricus.

Borax raffinata, Boras natricus cum Aqva D. 50.
(Borax Sv. 45. Biboras natricus crystallisatus N. 54).

Borax.

Crystalla coloris expertia, pellucida vel in superficie subfatiscentia, reactione alkalina, in Aqvae partibus 15, Aqvae fervidae partibus 2 solubilia, in Spiritu indissolubilia.

Solutio diluta ne Solutione Sulphidi hydrici turbetur, neve Solutione Carbonatis natrici; praecipitatum, Solutione Nitratis argentici aut Chloreti barici addita, ortum in Acido nitrico, calore adhibito, solubile sit.

Bicarbonas kalicus.

(Sv. 45. Bicarbonas kalicus crystallisatus N. 54).

Tvekulsurt Kali.

Crystalla in aëre permanentia, reactione alkalina debili, in Aqvae partibus qvattuor solubilia; solutio Solutione Sul-

phatis magnesici vix turbetur, Solutione Sulphidi hydrici ne mutetur, neve Acido nitrico abundanti neutralisata Solutione Chloreti barici turbetur, Solutione Nitratis argentici addita modo paullulum turbetur.

Bicarbonas natricus.

Natrum carbonicum acidulum D. 50.

(*Bicarbonas natricus Sv. 45. Bicarbonas natricus crystallisatus N. 54*).

Tvekulsurt Natron.

Pulvis vel crustae crystallinae niveae, sicco aëre non fatiscentes, reactione alkalina debili; in Aqvae partibus tredecim solvatur. Solutio filtrata unius partis in Aqvae partibus qvindecim Solutionem Sulphatis magnesici non nimis concentratam ne turbidam reddat. Solutio Acido nitrico abundanti saturata, addita Solutione Nitratis barici vel Nitratis argentici, aut nullam aut perparvam turbationem praebeat, addita Solutione Sulphidi hydrici, ne mutetur. In vase clauso servetur.

Bilis bovina depurata.

Fel Tauri inspissatum D. 50.

(*Bilis bovina inspissata Sv. 45. Bilis bovina siccata N. 54*).

Renset Oxegalde.

℞. Bilis bovinae recentis e vesicis nuper depromptae partem unam, ... 1

conqvassando in

Spiritus concentrati parte una 1

solvatur; solutio in vase clauso seponatur, ut turbantes partes subsidant, deinde decantetur et filtretur; tum in balneo aqvae ad consistentiam Extracti evaporetur et in vase probe clauso loco sicco servetur.

Sit e flavo viridis; Aqva et Spiritu additis, solutionem limpidam et subviridem praebeat.

Bioxalas kalicus.

Sal Acetosellae s. Oxalium D. 50.
(Sal Acetosellae Sv. 45. Bioxalas kalicus crystallisatus N. 54).

Syresalt.

Crystalla coloris expertia, in aëre permanentia, reactione peracida, in Aqvae bullientis partibus qvattuordecim et in Spiritus bullientis partibus triginta qvattuor solubilia, ignita residuum candicans, solidum, valde alkalinum praebentia. In vase clauso servetur.

Bitartras kalicus.

Cremor Tartari, Tartarus depuratus D. 50.
(Tartras hydrico-kalicus N. 54).

Tvevinsurt Kali.

℞. Bitartratis kalici depurati venalis pulverati partes decem, ... 10

immittantur in patinam porcellaneam, deinde affundantur

Aqvae destillatae partes decem, ... 10

Acidi hydrochlorati pars una, ... 1

tum inter agitationem saepius repetitam per aliqvot horas in balneo aqvae digerantur. Mixtura refrigerata in manicam linteam immissa primum Aqva communi, deinde Aqva destillata eluatur, donec liqvor defluens, Nitrate argentico addito, non amplius turbetur. Massa exorta siccetur, per cribrum trajiciatur et in vase probe obturato servetur.

Sit pulvis albus; in Aqvae partibus centum septuaginta solvatur; cum aeqvo pondere Carbonatis natrici in justa copia Aqvae coctus solutionem limpidam praebeat. Ceterum ut Bitartras kalicus depuratus venalis sese habeat.

Bitartras kalicus depuratus venalis.

Tartarus depuratus venalis s. Crystalla Tartari D. 50.
(*Tartarus depuratus Sv. 45*).

Renset Vinsten.

Crystalla alba, cohaerentia, in aëre permanentia; in Aqva difficulter solvantur, in Spiritu ne solvantur. Solutio aqvosa, addita Solutione Sulphidi hydrici, ne coloretur, neve Solutione Ammoniaci neutralisata, addita Solutione Sulphohydratis ammonici, coloretur.

Bolus alba.

Hvid Bolus.

Terra fragilis, sordide alba, cohaerens, madefacta tenax, in majore copia Aqvae dilabens, maxima ex parte ex argilla constans. Acido hydrochlorato addito, mediocriter effervescat.

Ne dispensetur nisi elutriata.

Brometum kalicum.

Bromkalium.

℞. Ferri in filis seu ramentis partes tres, ... 3
immittantur in cacabum ferreum, in qvo insint
Aqvae destillatae partes octo, ... 8
et inter assiduam agitationem sensim addantur
Bromi partes octo ..... 8.

Ne Bromum exhaletur, inter operationem prospiciendum est, ut liqvor refrigeretur, si temperatura ejus nimis aucta sit. Ubi Bromum omne additum est, et color fuscus evanuit, liqvor filtro separetur, et Ferrum non solutum abluatur. Deinde liqvor limpidus in solutionem bullientem, paratam e

Bicarbonatis kalici partibus decem 10
et Aqvae destillatae partibus triginta 30

sensim infundatur. Mixtura, cui, si reactionem alkalinam debilem non praebuit, copia Bicarbonatis kalici ad illam reactionem efficiendam sufficiens addenda est, per horam dimidiam coqvatur, deinde filtretur, et sedimentum eluatur. Filtratum evaporatione in crystalla redigatur, qvae siccata in vase bene obturato serventur.

Crystalla coloris expertia, in una tribusqve qvartis partibus Aqvae et in Spiritus partibus octoginta solubilia. Solutio aqvosa paullulum calefacta et cum aliqvot guttis Solutionis Chloreti ferrici et parva copia Chloroformii conqvassata Chloroformium colore violaceo ne tingat. Si una pars crystallorum subtiliter tritorum cum parte una et dimidia Bichromatis kalici subtiliter triti et qvattuor partibus Acidi sulphurici accurate commiscetur, et destillatio deinde instituitur, destillatum e rubro fuscum, qvod ortum est, probe refrigeratum, admixta Solutione Ammoniaci abundanti, decoloretur aut colorem pallide flavum vix induat.

Bromum.

Brom.

Liqvor e rubro obscure fuscus, qvi facillime avolet et in Aqva difficulter solvatur. Pondus specificum sit = 2,966. Si Solutioni Carbonatis natrici dilutae inter perpetuam agitationem tantam copiam Bromi addideris, ut liqvor, etiamsi aliqvamdiu conqvassaveris, colorem debilem retineat, hic liqvor, addita Solutione Amyli, colore caeruleo ne tingatur. In vitro, epistomio vitreo bene clauso, loco frigidissimo servetur.

Bulbus Scillae.

Radix Scillae D. 50.

(Sv. 45. Bulbi Scillae maritimae N. 54).

Strandløg.

Urginia Scilla Steinheil.

Sqvamae bulbi mediae concisae, siccatae, corneae, diaphanae, albidae, sapore mucilaginoso, nauseoso, amaro. In vase probe clauso serventur.

Calx chlorata.

Calcaria chlorata D. 50.

(Hypochloris calcicus Sv. 45. Calcaria chlorata N. 54).

Chlorkalk.

Sit pulvis albidus, paene siccus, grumosus, Chlorum redolens. Centum (100) partes pulveris minimum viginti (20) partes Chlori efficacis contineant, qvod tum fit, si solutio Sulphatis ferrosi undeqvadraginta partium Acido hydrochlorato mixta, viginti qvinqve partibus Calcis chloratae cum Aqva probe contritae inter perpetuam agitationem sensim additis, guttam Hypermanganatis kalici additam non jam decolorat. Dum Calx chlorata additur, prospiciendum est, ut solutio Ferri acida maneat, et, si necesse est, Acidi hydrochlorati parva copia addenda est. In vase tecto loco sicco a luce remoto servetur.

Camphora.

Camphora raffinata D. 50.

(Camphora depurata Sv. 45. Camphora Lauri Camphorae depurata N. 54).

Kampher.

Laurus Camphora L. Camphora officinarum Nees.

Placentae albae, supra convexae, infra concavae, consistentiam lentam texturamqve crystallinam exhibentes, odore penetranti, peculiari, in lingva sensum frigoris relinqventes; frusta tenuia pellucida sunt et aëri exposita avolant. Calore adhibito liqvescunt, incensae fumum densum exhalantes flamma lucida sine residuo conflagrant. In Aqva pro minima parte solvuntur, in Spiritu, Aethere, Acido acetico, Oleis, Aetheroleis, Chloroformio facile solvuntur. In vase probe clauso serventur.

Cantharides.

(*Sv. 45. N. 54*).

Spanske Fluer.

Lytta vesicatoria Fabr. Cantharis vesicatoria De Geer.

Insecta ex aureo viridia, splendentia, 1½—3 centimetra longa, 5—7,5 millimetra lata, antennis nigris, mollibus, filo similibus instructa, odore penetranti et peculiari. Maculas ex adipe ortas in charta ne relinqvant, neve Ammoniacum redoleant. Cantharides humidae, corrosae rejiciantur. Calore 40° adhibito probe siccentur, tum in vase diligenter clauso serventur.

Capsulae cum Balsamo Copaiva.

Kopaiva-Kapsler.

In Capsulas Gelatinae animalis genuinae apertas, rotundas vel ovatas, justa magnitudine, tanta copia Balsami Copaivae infundatur, ut singulae capsulae

centigrammata septuagena qvina 75

Balsami contineant. Capsulae repletae solutione Gelatinae animalis genuinae ad justam consistentiam evaporata claudantur, siccentur, per solutionem Gelatinae trahantur, iterum siccentur. Loco sicco serventur.

Capsulae cum Balsamo Copaiva et Extracto Cubebae.

Kubebe-Kapsler.

℞. Extracti Cubebae partem unam, ... 1

Balsami Copaivae partes novem, ... 9

misceantur. Hujus mixturae infundantur

centigrammata septuagena qvina 75

in Capsulas Gelatinae animalis genuinae apertas, qvae eadem ratione, qva Capsulae cum Balsamo Copaiva, claudantur et tractentur. Loco sicco serventur.

Capsulae cum Oleo Crotonis.

Capsulae Crotonis D. 50.

Kroton-Kapsler.

℞. Olei Crotonis partem unam,..... 1

Olei Ricini partes triginta novem,..... 39

calore leni adhibito, misceantur. Hujus mixturae infundantur

centigrammata sexagena 60

in Capsulas Gelatinae animalis genuinae apertas, qvae eadem ratione, qva Capsulae cum Balsamo Copaiva, claudantur et tractentur. Loco sicco serventur.

Singulae Capsulae praeter Oleum Ricini unum centigramma cum dimidio (1,5) Olei Crotonis contineant.

Capsulae cum Oleo Ricini.

Amerikansk Olie-Kapsler.

In Capsulas Gelatinae animalis genuinae apertas, justa magnitudine, tanta copia Olei Ricini infundatur, ut singulae Capsulae

centigrammata septuagena qvina..... 75

Olei contineant. Capsulae, repletae eadem ratione, qva Capsulae cum Balsamo Copaiva, claudantur et tractentur. Loco sicco serventur.

Caragheen.

Lichen carraghen D. 50.

(Lichen Caragheen vel Caragheen Sv. 45. Sphaerococcus crispus N. 54).

Karaghenmos.

Sphaerococcus crispus et S. mamillosus Agardh.

Thallus planus vel canaliculatus, dichotomus, margine undulatus et serrulatus, siccatus cartilagineus, colore subflavo, cum Aqva coctus gelatinam refrigeratione rigescentem praebens.

Carbo Ligni praeparatus.

Carbo ligneus s. vegetabilis praeparatus D. 50.

(Carbo vegetabilis praeparatus Sv. 45. Carbo Ligni N. 54).

Præpareret Kul.

Carbones ligni levioris in vase operto incandescant, donec nullum fumum emittant nec flammam concipiant; deinde in vase operto exstingvantur; a cinere adhaerenti purgati, dum calidi sunt, in pulverem subtilissimum redigantur. Pulvis in vas continuo immittatur, in qvo probe clauso servandus est.

Sit pulvis subtilis, siccus, niger, nullo sapore; candefactus flammam ne concipiat; Aqva cum pulvere cocta colore ne tingatur.

Carbonas kalicus.

Kali carbonicum purum, Sal Tartari D. 50.

(Carbonas kalicus purus Sv. 45. Carbonas kalicus N. 54).

Kulsurt Kali.

℞. Bicarbonatis kalici..... q. v.,

pulveratum in catino ferreo polito candefiat, donec portiuncula exempta in aeqvo pondere Aqvae solvi possit. Pulvis remanens etiam calidus immittatur in vas vitreum siccatum, in qvo probe obturato servetur.

Sit pulvis siccus, peralbus, aëre deliqvescens, in aeqvo pondere Aqvae limpidam solutionem praebeat. Solutio Solutione Sulphidi hydrici ne turbetur, Acido nitrico neutralisata Solutione Chloreti barici ne turbetur, Solutione Nitratis argentici vix turbetur.

Carbonas kalicus crudus.

Kali carbonicum crudum s. Cineres clavellati D. 50.
(Potassa calcinata Sv. 45. Carbonas kalicus crudus N. 54)

Potaske.

Massa salina, albida, subviridis vel subcaerulea, sapore caustico, in aëre humescens et deliqvescens, cum copia duplici Aqvae liqvorem turbidum praebens. Hic liqvor filtratus Acido hydrochlorato abundanti mixtus Solutione Sulphidi hydrici ne mutetur. Septuaginta fere partes Carbonatis kalici puri in partibus centum contineat. In vase probe obturato servetur.

Carbonas kalicus depuratus.

Kali carbonicum depuratum, Cineres clavellati depurati D. 50.
(Carbonas kalicus depuratus Sv. 45).

Renset kulsurt Kali.

℞. Carbonatis kalici crudi . . . . . q. v., immittatur in vas lapideum et, duplici Aqvae destillatae pondere affuso, inter agitationem saepe repetitam per biduum seponatur, deinde per linteum coletur. Liqvor limpidus in lebete ferreo polito evaporetur, donec cuticula salina oriri incipiat, deinde in vas lapideum immissus per aliqvot dies loco frigido seponatur, ut sales alieni crystallisatione separari possint. Tum liqvor defusus filtretur et inter perpetuam agitationem in lebete ferreo ad siccitatem evaporetur. Massa salina in pulverem grossum conteratur, et pulvis calidus immittatur in vas, in qvo probe obturato servetur.

Sit sal albus, siccus, aëre deliqvescens; in aeqvo pondere Aqvae paene limpidam solutionem praebeat. Solutio Acido nitrico neutralisata et filtrata Solutione Sulphidi hydrici ne turbetur, Solutione Nitratis argentici mediocriter turbetur, Solutione Chloreti barici vix turbetur.

Carbonas magnesicus.

Tung kulsur Magnesia.

℞. Sulphatis magnesici partes sex,..... 6

solvantur in

Aqvae destillatae partibus duodeviginti 18

solutioni filtratae circiter 20° calidae admisceatur solutio filtrata et ipsa 20° calida ex

Carbonatis natrici partibus septem 7

et Aqvae destillatae partibus viginti una..... 21

parata. Mixtura loco 20°—30° calido per duos vel tres dies seponatur, donec sedimentum gelatinosum primum ortum in pulverem crystallinum subtilem mutatum sit. Pulvis in linteum distentum colligatur, deinde Aqva destillata probe eluatur, calore 30° non excedenti siccetur et per cribrum trajectus in vase clauso servetur.

Sit pulvis albus, subtilis, crystallinus, satis ponderosus; in Aqva difficillime solvatur. Haec solutio cocta turbida fiat, et Acido nitrico supersaturata, addita Solutione Chloreti barici vix turbetur.

Carbonas natricus.

Natrum carbonicum depuratum D. 50.
(*Carbonas natricus crystallisatus N. 54*).

Kulsurt Natron.

℞. Carbonatis natrici venalis partes qvattuor, ... 4

solvantur in

Aqvae bullientis partibus tribus 3

Solutio filtrata inter agitationem refrigeretur. Pulvis crystallinus inde ortus in infundibulum colligatur et Aqva destillata frigida sensim affusa abluatur, donec fluidum filtratum Acido nitrico supersaturatum Solutione Chloreti barici et Solutione Nitratis argentici additis turbationem perparvam praebeat. Tum pulvis ex infundibulo exemptus et in charta bibula aëri expositus siccetur, sed providendum est, ne fatiscat. In vase vitreo probe obturato loco frigido servetur.

Sit pulvis crystallinus albus et solvatur in Aqvae partibus duabus, itemqve in Aqvae bullientis copia minore qvam aeqvo pondere. Solutio Solutione Sulphidi hydrici ne turbetur, et Acido nitrico saturata, Solutione Chloreti barici et Solutione Nitratis argentici additis, perparvam turbationem praebeat.

Carbonas natricus siccatus.

Natrum carbonicum depuratum siccatum D. 50.
(Carbonas natricus siccus N. 54).

Tørret kulsurt Natron.

℞. Carbonatis natrici ..... q. v.,
in vase operto loco calido (30°—36°) seponatur, ut fatiscat, donec pondus ejus dimidio fere minus sit. Pulvis plane siccus cribretur, deinde in vase vitreo probe obturato servetur.

Nota. Hic pulvis dispensetur, si Carbonas natricus pulveratus postulatus est.

Carbonas natricus venalis.

Natrum carbonicum crudum seu Soda cruda D. 50.
(Soda depurata Sv. 45).

Soda.

Crystalla magna colorisqve expertia; solvantur in Aqvae partibus duabus, itemqve in Aqvae bullientis copia minore qvam aeqvo pondere.

Castoreum canadense.

(Sv. 45. N. 54).

Canadisk Bævergeil.

Castor americanus Cuvier.

Folliculi rugosi, piri formam exhibentes, ex parte compressi, saepe duo plus minusve inter se conjuncti, membranis exterioribus arcte coalitis instructi, massa resinosa, fractura nitenti, odore peculiari prorsus repleti. Cave, ne confundantur cum folliculis adulterinis, e massa resinosa, membranis involuta, confectis. In vase probe obturato, a luce remoto, serventur.

Castoreum moscoviticum.

(Castoreum russicum N. 54).

Russisk Bævergeil.

Castor fiber L.

Folliculi, saepe duo plus minusve inter se conjuncti, glabri, ovati, obscure fusci, membranis duabus exterioribus crassioribus, qvae facile separentur, duabusqve interioribus tenuioribus, qvae in lamellas dividi possint, instructi. Cavum interius castoreo saepissime non prorsus repletum est. Recens castoreum praebet massam molliorem et e flavo fuscam, siccum praebet massam fuscam, opacam, fragilem, cum acidis effervescentem; odore est peculiari et graviore qvam Castoreum canadense. Tinctura spirituosa, Aqva addita, lactea, sed, addita Solutione Ammoniaci, rursus limpida fit. In vase probe obturato, a luce remoto, serventur.

Cera.

Cera flava et Cera alba D. 50.
(Sv. 45. N. 54).

Gult og hvidt Vox.

Apis mellifica L.

Cera flava. Massae plus minusve flavae, fractura granulosa, manus calore mollescentes, odore melleo, calore 62° liqvescentes, in Spiritu frigido indissolubiles, in Aetheris partibus viginti, calore 15° adhibito, solubiles, ponderis specifici = 0,96—0,97, qvod facile inde cognoscitur, qvod in mixtura Spiritus et Aqvae illius ponderis non desidunt.

Cera alba. Frusta alba, fragilia, in stratis tenuioribus diaphana, calore infra 65° non liqvescentia, ponderis specifici = 0,97—0,98. Ceterum Cera alba eadem sit natura atqve Cera flava.

Cera prunis injecta nidorem ne spargat; si una pars Cerae cum una parte Carbonatis natrici, in Aqvae partibus qvinqvaginta soluti, coqvitur, massa mucilaginosa et tenax ne oriatur. Spiritus cum Cera conqvassatus post evaporationem residuum ne relinqvat. Cera cum copia qvadruplici Acidi sulphurici fumantis calefacta mutetur in massam nigram gelatinosam, qvae post refrigerationem adipe non obducta sit. Si tres vel qvattuor partes Cerae et qvinqve partes Biboratis natrici cum sexaginta vel septuaginta partibus Aqvae coqvuntur, donec Cera aeqvaliter distributa sit, liqvor, in qvo Cera natat, aliqvamdiu sepositus, limpidus sit et albidus vel subflavus, non lacteus, crassus vel gelatinosus.

Ceratum ad Labia.

Cera ad Labia D. 50.

(Ceratum rubrum Sv. 45. Ceratum labiale N. 54).

Læbe-Pomade.

℞. Cerae flavae partes duodecim,..... 12

Cetacei partes duodeviginti,..... 18

leni calore adhibito, cum

Olei Amygdalarum partibus triginta sex 36

liqvefiant. Massa liqvefacta, additis

Radicis Alkannae concisae pulvere adhaerenti liberatae partibus novem,..... 9

per aliqvod tempus calefiat; deinde massa adhuc calida colata, admixtis

Aetherolei Lavandulae partibus duabus,..... 2

in capsulas papyraceas planas effundatur.

Servetur in charta cerata vel in vase clauso, a luce remoto.

Cetaceum.

Sperma Ceti D. 50.

(Sv. 45. Cetaceum Sv. 45. N. 54).

Hvalrav.

Physeter macrocephalus L.

Massae albae, margaritarum nitore, subdiaphanae, lamelloso-crystallinae, tactu lubrico-pingvosae, odore debili, sapore miti, calore circiter 50° liqvescentes, in Spiritu alcoholisato calido et Aethere plane solubiles.

Chinoidina.

Chinoidin.

Massa fusca, nitens, resinacea, sapore amaro, in Aqva ex parte solubilis, in Spiritu, Aethere Acidisqve dilutis facile solubilis. Cum Aqva fervida conqvassata et filtrata liqvorem praebeat post colationem mediocriter coloratum, item, addita Solutione Hydratis kalici, mediocriter coloretur; ignita sine residuo conflagret.

Chloras kalicus.

(N. 54).

Chlorsurt Kali.

℞. Chloratis kalici venalis ..... q. v.,

in copia qvadruplici Aqvae destillatae bullientis solvatur. Solutio filtrata ad crystallisationem seponatur et saepius agitetur.

Die interjecto, crystalla colligantur, deinde Aqva destillata abluantur, donec liqvor defluens, Solutione Nitratis argentici addita, vix opalescat. Crystalla abluta siccentur et in vase clauso serventur. E lixivia remanenti plura crystalla evaporatione comparari possunt, qvae illa ratione, qvae supra exposita est, depurgari possunt.

Sint crystalla coloris expertia, nitida, tabularia, in Aqvae partibus septendecim, bullientis partibus tribus solubilia. Solutio, Solutione Nitratis argentici addita, vix turbetur, Solutione Sulphidi hydrici et Oxalatis ammonici ne turbetur.

Chloras kalicus venalis.

Almindeligt chlorsurt Kali.

Crystalla coloris expertia et tabulaeformia, qvae ignita et in Aqva soluta solutionem limpidam et ad chartam exploratoriam indifferentem praebeant.

Chloretum amido-hydrargyricum.

Hydrargyrum ammoniato-muriaticum, Mercurius praecipitatus albus D. 50.

(Amideto-Chloretum hydrargyricum N. 54).

Hvidt Qvægsølvpræcipitat.

℞. Chloreti hydrargyrici corrosivi partes duas, ... 2

calore solvantur in

Aqvae destillatae partibus qvadraginta..... 40

et filtrentur. Solutio refrigerata in

Solutionis Ammoniaci partes tres 3

infundatur, qva in re prospiciendum est, ut Solutio Ammoniaci postremo paullum praevaleat. Praecipitatum secretum in filtrum colligatur, et, qvum humor defluxerit, bis

Aqvae destillatae partibus duodeviginti 18

eluatur, deinde loco obscuro caute siccatum in vase vitreo flavo vel nigro probe clauso servetur.

Sit pulvis albissimus, in Aqva ne solvatur, in Acido nitrico diluto et calefacto facile solvatur. Cum Solutione Hydratis natrici calefactus flavescat et Ammoniacum evolvat. Ignitus aufugiat, neve prius liqvefiat.

Chloretum ammonicum.

Ammonium muriaticum depuratum, Hydrochloras ammonicus depuratus D. 50.

(Sal ammoniacum depuratum Sv. 45. Chloretum ammoniacum N. 54).

Salmiak.

Sit coloris et odoris expers; in Aqvae partibus tribus, bullientis parte una plane solvatur. Solutione Sulphidi hydrici aut Solutione Sulphohydratis ammonici ne turbetur. In lamina platinae candefactum sine residuo aufugiat.

Chloretum baricum.

Baryta muriatica, Terra ponderosa salita, Chloretum baryticum D. 50.

(Chloretum baryticum Sv. 45 Chloretum barycum crystallisatum N. 54).

Chlorbarium.

Crystalla coloris expertia, pellucida, in aëre permanentia, in Aqvae partibus duabus et dimidia solubilia, in Spiritu indissolubilia. Solutio aqvosa ad chartam exploratoriam indifferens sit, Solutione Sulphidi hydrici vel Solutione Sulphohydratis ammonici addita, ne mutetur.

Chloretum chinicum.

Chininum muriaticum, Hydrochloras chinicus D. 50.

Saltsurt Chinin.

℞. Chloreti barici partes septem,..... 7

solvantur in

Aqvae destillatae bullientis partibus ducentis 200

in cucurbitam vitream immissis, deinde addantur

Sulphatis chinici partes viginti qvinqve ..... 25.

Mixtura inter qvassationem saepius repetitam per horam dimidiam calore circiter 100° calefiat, tum filtretur et remanentia eluatur. Filtratum in balneo aqvae ad crystallisationem evaporetur, tum, liqvore per aliqvod tempus seposito, crystalla exorta separentur et, nullo calore adhibito, inter plagulas chartae bibulae siccentur. Lixivia remanens denuo evaporetur, qvae operatio repetatur, qvamdiu crystalla, liqvore seposito, exorta erunt. Crystalla siccata in vase probe clauso serventur.

Sint crystalla parva et nitore sericeo; in Aqva bullienti et in Alcoholis partibus tribus facile solvantur; in lamina platinea sine residuo deflagrent. Solutio aqvosa, Acido sulphurico addito, ne turbetur, Solutione Chloreti barici addita, modo mediocriter turbetur.

Chloretum ferrico-ammonicum.

Ammonium muriaticum martiatum D. 50.
(Chloretum ferrico-ammonicum Sv. 45).

Jernholdig Salmiak.

℞. Chloreti ammonici partes duodeviginti,..... 18

solvantur in

Aqvae destillatae bullientis partibus qvadraginta qvinqve, ... 45

deinde addantur

Chloreti ferrici partes duae,..... 2

Acidi hydrochlorati diluti pars una..... 1.

Solutio filtrata in balneo aqvae inter assiduam agitationem evaporetur, donec omnino sicca sit. Pulvis crystallinus illa ratione paratus loco obscuro in vase probe clauso servetur.

Sit pulvis aurantiacus et crystallinus, humorem ex aëre attrahat, in Aqvae partibus tribus solutionem limpidam praebeat. Partes centum (100) continent duas (2) fere partes Ferri.

Chloretum ferricum.

Ferrum muriaticum oxydatum D. 50.
(Chloretum ferricum Sv. 45. Chloretum ferricum crystallisatum N. 54).

Jerntvechlor.

℞. Ferri in filis partem novem, ... 9

immittantur in cucurbitam aptam, tum sensim affundantur

Acidi hydrochlorati partes qvadraginta ..... 40.

Qvum fervor minui coeperit, cucurbita in balneo aqvae calefiat, donec explicatio gasis desierit, tum liqvor a Ferro nondum soluto filtro separetur. Filtratum sensim infundatur in mixturam ex

Acidi hydrochlorati partibus viginti duabus..... 22

et Acidi nitrici partibus decem..... 10

paratam et antea in patinam porcellaneam immissam et in balneo aqvae modico calore calefactam. In singulis portiunculis infundendis prospiciendum est, ne nova infundatur, priusqvam prior deferverit, et calor sensim augendus est, ut vis Acidi nitrici sustentetur. Si, tota Solutione Ferri addita, portiuncula exempta et Aqva diluta guttam Solutionis Hypermanganatis kalici decoloraverit, tanta copia Acidi nitrici, cum tribus partibus Acidi hydrochlorati mixti, guttatim addatur, qvanta ad perfectam oxydationem Ferri sufficiat; jam liqvor in balneo aqvae ad partes qvadraginta evaporetur. Si portiuncula exempta cum mixtura ex Aetheris partibus duabus et Spiritus concentrati parte una parata limpide commisceri non potest, tanta copia Acidi hydrochlorati guttatim addenda est, ut illud fiat; tum patina, lamina vitrea probe clausa, loco frigido et sicco seponatur, ut crystalla exoriantur; crystalla exempta in vase vitreo, epistomio vitreo clauso, loco obscuro serventur. E lixivia remanenti, parva copia Acidi hydrochlorati addita, evaporatione repetita plura crystalla comparari possunt.

Sit massa crystallina et colore ex aurantiaco flavo; in Aqva, Spiritu, Aethere plane solvatur. Solutio aqvosa, additis

guttis nonnullis Acidi sulphurici, guttam Solutionis Hypermanganatis kalici ne decoloret. Ubi Oxydum ferricum ex solutione aqvosa Solutione Ammoniaci abundanti secreveris, filtratum, Solutione Sulphohydratis ammonici addita, fusco colore ne tingatur; neve filtratum calefactum et Acido sulphurico magnopere acidulatum guttam Solutionis Indigo dilutae decoloret.

Chloretum hydrargyricum corrosivum.

Hydrargyrum muriaticum corrosivum, Chloretum hydrargyricum, Mercurius sublimatus corrosivus D. 50.
(Chloretum hydrargyricum corrosivum Sv. 45. N. 54).

Qvægsølvtvechlor.

Massae albae, diaphanae, ponderosae, radiate crystallinae; calori expositae liqvescunt et plane avolant, in Aqvae frigidae partibus sedecim, bullientis partibus tribus, in Spiritus partibus tribus, in Aetheris partibus qvattuor solvi possunt.

Chloretum hydrargyrosum praecipitatum.

Hydrargyrum muriaticum mite praecipitatum D. 50.
(Chloretum hydrargyrosum Sv. 45. Chloretum hydrargyrosum mite praecipitatum N. 54).

Fældet Qvægsølvforchlor.

℞. Chloreti natrici partes duas, ... 2
solvantur in

Aqvae destillatae partibus qvadraginta, ... 40
solutioni filtratae in vas idoneum immissae inter assiduam agitationem addantur

Solutionis Nitratis hydrargyrosi partes octoginta . . . 80.
Sedimentum ortum colligatur, deinde probe eluatur et loco obscuro, nullo calore adhibito, siccetur. In vase vitreo flavo vel nigro bene clauso servetur.

Sit pulvis albus et subtilissimus; in tubo vitreo exploratorio calefactus prorsus aufugiat, rubris vaporibus non emissis. Solutio Hydratis natrici addita pulverem nigro colore tingat, odorem ammoniacalem non spargens. Aqva cum pulvere conqvassata et filtrata, Solutione Sulphidi hydrici addita, ne mutetur.

Ne dispensetur, nisi medicus Chloretum hydrargyrosum praecipitatum vel Hydrargyrum muriaticum mite praecipitatum postulaverit.

Chloretum hydrargyrosum sublimatum.

(Mercurius dulcis, Calomel).

Hydrargyrum muriaticum mite sublimatum D. 50.
(Chloretum hydrargyrosum mite sublimatum N. 54).

Sublimeret Qvægsølvforchlor.

℞. Chloreti hydrargyrici corrosivi partes qvattuor, ... 4
in mortario porcellaneo subtiliter terantur, dum parva copia Spiritus addatur, deinde admisceantur

Hydrargyri partes tres . . . . . 3.

Mixtura teratur, donec globuli Hydrargyri prorsus evanuerint, deinde, leni calore adhibito, probe siccetur et in lagenas, ducena fere grammata capientes, ita distribuatur, ut tertia tantum pars lagenarum repleatur. Lagenae, epistomiis ex creta alba confectis clausae, in balneo arenae collocentur, et balneum calore primum modico, postea sensim aucto calefiat, donec sublimatio peracta sit. Sublimatum inde paratum post refrigerationem a vitro secernatur et in pulverem subtilissimum tritum Aqva plane eluatur, donec liqvor defluens filtratus, addita Solutione Sulphidi hydrici, non amplius mutetur; jam, nullo calore adhibito, loco obscuro siccetur. In vase vitreo flavo vel nigro bene clauso servetur.

Sit pulvis subtilissimus, albidus nitorisqve expers; in Aqva et Spiritu ne solvatur; candefactus plane aufugiat, ceterum ut Chloretum hydrargyrosum praecipitatum sese habeat.

Chloretum morphicum.

Saltsurt Morphin.

Crystalla parva et nitentia, sapore peramaro; in Spiritu et in Aqvae partibus viginti solvantur; in Aqva bullienti facillime solvantur itemqve in Solutione Hydratis natrici abundanti, odorem ammoniacalem non spargentia. Ignita sine residuo deflagrent. In vase probe clauso serventur.

Chloretum zincicum.

(Sv. 45).

Chlorzink.

℞. Oxydi zincici venalis partes qvinqve,..... 5

conterantur in patina porcellanea cum

Aqvae destillatae partibus viginti,..... 20

deinde addantur

Acidi hydrochlorati partes undeviginti ..... 19.

Mixtura per aliqvod tempus cum frusto Zinci politi calefiat et digeratur. Solutio illa ratione parata per vitrum contusum filtretur et inter assiduam agitationem, leni calore adhibito, evaporetur, donec portiuncula exempta post refrigerationem obrigescat. Residuum rigidum in pulverem teratur, et pulvis statim ingeratur in vas vitreum siccatum et calefactum, in qvo probe obturato servetur.

Sit pulvis albus et facile deliqvescat. Addita parva copia Acidi hydrochlorati, in Spiritu limpide solvatur. Solutio aqvosa, addita Solutione Sulphidi hydrici, colore fusco ne tingatur. Solutio Ammoniaci addita praebeat praecipitatum album, qvod in liqvore praecipitanti abundanti facile solvatur.

Chloroformium purum.

Chloroform D. 50.

(Trichloretum formylicum N. 54).

Rent Chloroform.

℞. Calcis chloratae partes viginti, ... 20

cum

Aqvae communis partibus octoginta 80

commixtae in apparatum destillatorium amplum immittantur. Mixtura ad 60° vel 70° calefacta, et

Spiritus concentrati partibus qvinqve 5

admixtis, alembicus celeriter imponatur et cum apparatu refrigeratorio conjungatur. Dimidia fere hora exacta, destillatio spontanea plerumqve incipiet, qvod si non factum erit, destillatio paucis prunis suppositis adjuvanda erit; deinde destillatio fiat, donec Chloroformium in excipulo non amplius secernatur, qvod plerumqve fiet, ubi septem vel octo partes transierint. Chloroformium a destillato separatum cum aeqvo pondere Aqvae probe ac diu conqvassetur; ab Aqva separatum cum Solutione Carbonatis natrici conqvassetur; iterum separatum cum justa copia Chloreti calcici sicci conqvassetur, qvo facto, in balneo aqvae rectificetur. Chloroformium illa ratione paratum loco obscuro et frigido in lagenis non nimis magnis et probe obturatis servetur.

Et pars aqvosa destillati et liqvores ad abluendum Chloroformium adhibiti parvam copiam Chloroformii et Spiritus continent; servari possunt et alias adhiberi in hoc praeparato parando.

Sit limpidum, coloris expers, plane volatile, ponderis specifici = 1,490—1,494; odore sit grato, in Aqva aegre solvatur, in Spiritu, Aethere, Oleis facile solvatur. Aqva cum Chloroformio conqvassata chartam exploratoriam caeruleam rubro colore ne tingat, neve Solutione Nitratis argentici turbetur. Acidum sulphuricum, cum aeqvo pondere Chloro-

formii conqvassatum, ne tingatur, licet per paucas horas sepositum fuerit. Solutione spirituosa Hydratis natrici addita, liqvor ne calefiat neve gas evolvat.

Chloroformium venale.

Chloroform.

Liqvor limpidus, prorsus volatilis, coloris expers, odore peculiari et penetranti, sapore subdulci postea urenti, in Aqva paene indissolubilis, in Spiritu, Aethere, Oleis facile dissolubilis; pondus specificum sit = 1,49—1,50. Aqva cum hoc liqvore conqvassata chartam caeruleam ne commutet neve Solutione Nitratis argentici turbetur; Acidum sulphuricum ex aeqva parte cum eo conqvassatum ne coloretur. In vase vitreo diligenter clauso loco frigido et obscuro servetur.

Nota. Chloroformium venale dispensetur, si medicus modo Chloroformium (sine additione „purum") praescripsit.

Coccionella.

Coccinella D. 50.
(Sv. 45).

Kochinelle.

Coccus Cacti L.

Insecta parva, transversim rugosa, in parte superiore et convexa e purpureo subnigra vel cana, pulvere albido inprimis rugis saepissime adsperso, in parte inferiore vel concava vel plana subalba, pedum reliqviis instructa. Pulverem ex rubro subnigrum praebent et Spiritum rubro colore tingunt. Plumbum, Spathum ponderosum, Graphites, alia fraudulenter immixta triturando cum Aqva deteguntur.

Colla Piscium.

Ichthyocolla D. 50.
(Sv. 45. N. 54).

Husblas.

Acipenser Huso L. Acipenser Sturio L. et nonnullae aliae Acipenseris species.

Membranae subcorneae, aut in lamellis aut in anulis lyriformibus, tenaces, diaphanae, iricolores, odoris et saporis expertes, in Aqva bullienti et Spiritu diluto bullienti, nullo fere residuo relicto, solvi possunt, solutione post refrigerationem gelatinam praebente.

Collodium.

(N. 54).

Kollodium.

℞. Acidi nitrici crudi (pond. spec. 1,382—1,390) partes octo, ... 8

in patinam porcellaneam immittantur, tum

Acidi sulphurici crudi (pond. spec. 1,833) partes viginti 20

caute admisceantur. In mixturam refrigeratam

Gossypii purioris pars una 1

ita ingeratur, ut acidis mixtis permadescat, qvo facto, omnia per horas viginti qvattuor seponantur. Massa solida exempta Aqva destillata probe eluatur, donec acido vacua sit, tum exprimatur et calore lenissimo siccetur.

Gossypii fulminantis hac ratione parati pars una... 1

dirimatur et cum mixtura ex

Aetheris partibus duodeviginti..... 18

et Spiritus concentrati partibus tribus..... 3

parata conqvassetur, donec soluta sit. Solutio seponatur, ut

partes non solutae subsidant, deinde limpide defusa in vase vitreo probe clauso loco frigido servetur.

Sit limpidum, coloris expers, paullulum opalescens, crassitudine syrupi.

Collodium cantharidatum.

Spanskflue-Kollodium.

℞. Cantharidum nuper grosse pulveratarum partes viginti, 20
in apparatu apto cum
Aetheris partibus triginta duabus 32
extrahantur, ut extracti paene limpidi
partes viginti duae 22
comparentur, cui extracto inter conqvassationem admisceantur
Spiritus alcoholisati partes duae 2
et Gossypii fulminantis diremti, qvod illa ratione paretur, qvae in Collodio commemorando exposita est, pars una . 1.

Sit liqvor e subfusco viridis et syrupi crassitudine.

Servetur eodem modo, qvo Collodium.

Collodium elasticum.

Elastisk Kollodium.

℞. Olei Ricini partem unam, ... 1
Collodii partes undecentum, ... 99
conqvassentur in vase vitreo clauso.

Servetur eodem modo, qvo Collodium.

Confectio Cinae.

Confectio seminum Cynae D. 50.
(Confectio Cinae Sv. 45).

Ormesukker.

℞. Florum Cinae electorum partem unam, ... 1

in cacabo aheneo polito, super ignem carbonarium lenem suspenso, modice calefiat, deinde

Sacchari albi cum Aqva ad justam consistentiam cocti partibus tribus..... 3

paullatim affusis perfundatur; interea cacabus assidue agitandus est, et massa, qvae in eo inest, primo spatha lignea, postea, ubi massa paullulum refrigerata est, manibus Amylo Tritici pulverato conspersis peragitanda, donec particulae globosae vel ovatae, siccae et discretae, formatae sint. Hae cribro separentur a Saccharo pulvereo et a Floribus Cinae nondum Saccharo incrustatis, qvi eodem modo tractentur, donec Saccharo satis obducti sint.

Sint globuli sicci et albi, non inanes.

Cortex Cascarillae.

(Cascarillae Cortex Sv. 45. Cortex Crotonis Eluteriae N. 54).

Kaskarillebark.

Croton Cascarilla, Cr. Eluteria, Cr. Sloanii Benn. et Croton lineare Jacq.

Frusta dura, canaliculata vel convoluta, peridermate operta tenui, extrinsecus subalbido, rimis decussatis sulcato, saepe ex parte delapso; cortex interior crassior est coloreqve e rubro fusco et extrinsecus item rimosus; fractura est cornea, in segmento transverso radiatim striata.

Cortex manducatus os urit saporeqve est amaro; odore est aromatico. Ramuli intermixti rejiciantur.

Cortex Chinae Calisayae.

Cortex Chinae flavus regius D. 50.

(Cinchonae regiae Cortex Sv. 45. Cortex Cinchonae regius N. 54).

Gul eller Konge-Chinabark.

Cinchona Calisaya Wedd.

Liber trunci satis planus, unum vel duo centimetra crassus, e rufo flavus, extrinsecus lacunis instructus magnis, leviter conchatis, argute marginatis vel saepe sqvamis raris, duris, ex stratis invicem pallidioribus et obscurioribus formatis; fractura aeqvaliter, brevissime rigideqve fibrata est; interior superficies levis est et ob cellulas fibrosas ubiqve exsertas nitida. Praeferatur cortex, qvem dicunt Bolivianum, monopolio praeditus. Ne confundatur cum cortice utroqve Chinae flavo neve cum rubiginoso neve cum Pitoyensi e Nova Granada advectis. Contineat cortex basium, qvas dicunt, Chinae partes minimum $2\frac{1}{2}$—3 in 100 partibus, qvod modo hoc invenitur: portiuncula corticis Aqva, Acido sulphurico vel hydrochlorato acidulata, plane extrahatur, liqvor ad siccitatem evaporetur, in Aqva acidulata iterum solvatur, filtretur, filtratum Solutione Hydratis natrici praecipitetur, sedimentum eluatur, siccetur, ponderetur.

Cortex Chinae ruber.

(Cinchonae rubrae Cortex Sv. 45. Cortex Cinchonae ruber N. 54).

Rød Chinabark.

Cinchona succirubra Pavon et alia Cinchonae species non satis nota.

Frusta plana vel subcanaliculata, dimidium vel duo centimetra crassa, cortice e fusco rubro, verrucis ovatis obsito, saepe in longitudinem sulcato, aut suberoso aut duro; liber est crassus, e fusco ruber, fibrosus, fractura in assulas abeunte, in segmento transverso intra parenchyma cellulis fibrosis, radiatim seriatis instructus. Cortex manducatus os adstringit, sapore est peramaro. Frusta tenuia, convoluta, levia, pallida rejicienda sunt. Ne confundatur cum cortice Chinae rubiginoso, magis fibroso et colore subaurantiaco.

Cortex Chinae fuscus seu griseus.

Cortex Chinae fuscus D. 50.
(Cinchonae vel Chinae griseae de Huanuco Cortex Sv. 45. Cortex Cinchonae fuscus N. 54).

Graa Chinabark.

Cinchona micrantha Ruiz et Pavon; Cinchona macrocalyx et Uritusinga Pav., Cinchona Condaminea Humb. et aliae species.

Cortex ramorum tria fere millimetra crassus; occurrit in frustis convolutis, pennae anserinae vel digiti minimi crassitudine; stratum medium circulo resinoso fere nigro instructum est, fractura extrinsecus levis est, intrinsecus fibrata.

Adhibeatur Cortex Huanuco, qvi dicitur, colore cinnamomeo, superficie hic illic alba, oblongis rimis freqventibus, transversis paene nullis, et Cortex Loxa, qvem dicunt, colore fusco, superficie cinerea, freqventibus rimis transversis, multum inter se distantibus.

Cortex Cinnamomi Cassiae.

Cortex Cassiae cinnamomeae s. Cinnamomi indici D. 50.
(Cortex Cinnamomi aromatici N. 54).

Cassia eller indisk Kanel.

Cinnamomum Cassia F. Nees.

Cortex ramorum interior, tenuis, semel convolutus, millimetrum fere unum et dimidium crassus, colore e flavo fusco, fractura subaeqvabili et subfibrosa, odore svavi, manducatus lingvam urens, non mucilaginosus, sapore subdulci.

Cortex Cinnamomi ceylanici.

Cortex Cinnamomi acuti ceylonensis D. 50.
(Cinnamomi ceylanici Cortex Sv. 45).

Ceylonsk Kanel.

Cinnamomum ceylanicum Breyn.

Cortex ramorum interior saepius convolutus, tenuissimus, coloris pallidi, e flavo fusci, in superficie interiore paullo obscurioris, fractura dense fibrosa, odore acri, peculiari, grato, sapore dulci, manducatus urens et paullum adstringens.

Cortex Frangulae.

Tørstetræbark.

Rhamnus Frangula L.

Cortex convolutus truncorum novellorum et ramorum validiorum, unum fere millimetrum crassus, extrinsecus canus vel e cano fuscus, verrucis parvis, albis, transverse saepe porrectis obsitus, vetustior subrimosus, strato suberoso tenuissimo, intrinsecus purpureo, sqvamoso obtectus, intrinsecus e fusco flavus, superficie ima levigata et rufa, fractura fibrata, fibris citrinis. Sapore est mucilaginoso et amaro, manducatus salivam colore flavo tingit.

Cortex Fructus Aurantii.

Cortex Aurantiorum D. 50.

(Cortex Fructus Aurantii maturi siccatus Sv. 45. Cortex Fructuum Citri Aurantii exterior N. 54).

Pommeransskaller.

Citrus vulgaris Risso.

Cortex fructus maturi, in qvattuor partes ellipticas dissectus; colore est e flavo fusco et glandulosus, intus spongiosus, albus, sapore amaro, odore svavi.

Cortex ne adhibeatur, nisi strato interiore liberatus seu Flavedo. Ne confundatur cum pericarpio Citri Aurantii Risso, colore aurantiaco, sapore minus amaro, odore diverso.

Cortex Mezerei.

(Mezerei Cortex Sv. 45. Cortex Daphnes Mezerei N. 54).

Kjelderhalsbast.

Daphne Mezereum L.

Fasciae longae tenuesqve, peridermate subfusco et facile separabili, libro tenacissimo, flexibili, subtiliter fibrato, bombycino, peracuto, colore ex subflavo albido, sapore peracri.

Adhibeatur etiam Cortex Daphnes Laureolae L., cujus liber colore est subviridi.

Cortex Qvercus.

(Qvercus Cortex Sv. 45. Cortex Qvercuum N. 54).

Egebark.

Qvercus Robur L. Qvercus sessiliflora Sm.

Cortex truncorum novellorum vel ramorum non nimis vetulorum extrinsecus fragilis, intrinsecus tenax, fasciatim fibratus, peridermate tenuissimo, sqvamoso, colore e cano argenteo, cortice medio fusco, libro subfusco vel subflavo, striato, postea in fascias tenues, angustas, flexibiles distracto, sapore amaro; manducatus adstringens. Rejiciatur Cortex nimis rimosus vel nimis muscosus.

Cortex Radicis Granati.

(Cortex Radicis Granati Sv. 45. Cortex Radicis Punicae Granati N. 54).

Granatrodbark.

Punica Granatum L.

Frusta canaliculata vel convoluta varia magnitudine, vix ultra unum et dimidium millimetrum crassa, extrinsecus verrucis exasperata, plus minusve rimosa, flava, intrinsecus e subviridi flava. Superficies intima est pallide cinnamomea et levis vel assulis tenuibus, e subflavo albidis instructa. Frusta frac-

tura aeqvabili sunt, sapore amaro, manducata adstringentia, salivam flavo colore inficientia.

Dextrinum.

Dextrin.

Pulvis e subflavo albus, odore peculiari et debili, sapore subdulci et mucilaginoso; cum aeqvo pondere Aqvae tritus mucilaginem spissiusculam et paene limpidam praebeat. Servetur loco sicco.

Elaeosacchara.

(N. 54).

Oliesukkere.

℞. Sacchari albi partes qvadraginta novem, ... 49
Aetherolei partem unam ..... 1.

In pulverem conterantur.
Sint odoris Aetherolei adhibiti.

Electuarium e Senna mannatum.

Electuarium aperiens D. 50.
(N. 54).

Afførende Latværge.

℞. Tartratis kalici partes tres, ... 3
Foliorum Sennae pulveratorum partes sex, ... 6
Pulpae Tamarindi partes duodecim, ... 12
Syrupi Sennae mannati partes viginti qvattuor; 24

misceantur, deinde, leni calore adhibito, evaporentur, donec remaneant

partes qvadraginta 40

et refrigerentur.
In vase probe clauso loco frigido servetur.

Emplastra.

Nisi alia parandi ratio praescripta est, haec observanda sunt: In Emplastris parandis diligenter providendum est, ne major calor adhibeatur, qvam qvi necessario reqviratur. Substantiae volatiles non ante addendae sunt, qvam massa ad 50°—70° refrigerata est. Emplastra massam homogeneam exhibeant; odorem rancidum ne spargant. Serventur ab humore, luce, calore qvam maxime remota. Si Emplastra juxta Oxydum calcicum servare libet, arca metallica operculo perforato instructa et tertia ex parte Oxydo calcico repleta in receptaculo Emplastrorum collocanda est; Oxydum tertia vel qvarta qvaqve hebdomade cum recenti portione permutare necesse est.

Emplastrum adhaesivum.

Emplastrum adhaesivum album (loco Emplastri adhaesivi svecici) D. 50.

(Emplastrum adhaesivum Sv. 45. N. 54).

Hefte-Plaster.

℞. Emplastri Oxydi plumbici partes qvattuor, ... 4

Resinae Pini flavae partem unam; 1

liqvefiant et inter perpetuam agitationem calefiant, donec spuma consumpta sit, et massa tamqvam Oleum tranqville fluat. Massa deniqve coletur et ex ea magdalides formentur.

Sit colore subfusco.

Emplastrum Cantharidum.

Emplastrum Cantharidum ordinarium, Emplastrum vesicatorium ordinarium D. 50.

(Emplastrum Cantharidum Sv. 45. Emplastrum Cantharidum ordinarium N. 54).

Spanskflue-Plaster.

℞. Cerae flavae partes decem, ... 10

Balsami Terebinthinae communis partes tres, ... 3

qvibus liqvefactis et paullum refrigeratis admisceatur mixtura, per sex horas antea digesta, e

Cantharidum nuper grosse pulveratarum partibus sex 6
et Olei Olivarum partibus tribus 3

parata. Massa inter agitationem saepe repetitam satis refrigerata, Oleo Olivarum adhibito, in magdalides formetur et super Oxydum calcicum potissimum servetur.

Sit molle, colore obscure viridi, particulis viridibus et nitentibus inspersis.

Emplastrum Cantharidum cum Euphorbio.

Emplastrum Cantharidum perpetuum, Emplastrum vesicatorium perpetuum D. 50.

(Emplastrum Cantharidum cum Euphorbio Sv. 45. Emplastrum Cantharidum perpetuum N. 54).

Langsomt trækkende Spanskflue-Plaster.

℞. Balsami Terebinthinae communis, ... 6
Resinae Mastiches pulveratae, singulorum partes sex; 6

liqvefiant et inter perpetuam agitationem admisceantur

Cantharidum nuper pulveratarum partes duae, ... 2
Euphorbii pulverati pars una ..... 1.

Massa in capsulas papyraceas effundatur aut in bacilla rotunda convolvatur.

Sit durum et fragile, colore e subviridi nigro, particulis viridibus inspersis.

Emplastrum citrinum.

(Emplastrum resinosum N. 54).

Citron-Plaster.

℞. Resinae Pini flavae partes sex, ... 6
Cerae flavae partes qvattuor, ... 4

Sevi ovilli partes duas,..... 2

liqvefiant; deniqve cum

Balsami Terebinthinae communis parte una 1

liqvefiant. Massa colata in capsulas papyraceas effundatur.

Sit colore flavo.

Emplastrum Conii.

Emplastrum Conii maculati, Emplastrum Cicutae D. 50.
(Emplastrum Foliorum Conii N. 54).

Skarntyde-Plaster.

℞. Resinae Colophonii grosse pulveratae partem unam,.. 1

Cerae flavae partes duas,..... 2

Olei Olivarum partem unam,..... 1

liqvefiant et colentur. Massae paullum refrigeratae sed adhuc 60° vel 70° calidae admisceantur

Herbae Conii pulveratae bene siccatae partes duae.. 2.

Massa agitetur, donec Emplastrum obriguerit, et, Oleo Olivarum adhibito, in magdalides formetur. Servetur eodem modo, qvo Emplastrum Cantharidum.

Sit colore e cano viridi.

Emplastrum Galbani crocatum.

Emplastrum de Galbano crocatum D. 50.
(Emplastrum Gummi-resinae Galbani crocatum N. 54).

Safranholdigt Galbanum-Plaster.

℞. Emplastri Oxydi plumbici,..... 12

Emplastri Meliloti, singulorum partes duodecim,.... 12

Cerae flavae partes octo,..... 8

liqvefiant. Massae nonnihil refrigeratae inter assiduam agitationem admisceantur

Gummi-resinae Galbani pulveratae partes viginti qvattuor,..... 24

antea in

Balsami Terebinthinae venetae partibus qvattuor, . . . 4

leni calore adhibito, exstinctae. Mixturae paene refrigeratae admisceantur

Stigmatum Croci pulveratorum partes tres. 3

cum Spiritu concentrato in pultem contritae. Massa agitetur, donec Emplastrum obriguerit. Emplastrum, Oleo Olivarum adhibito, in magdalides formetur eodemqve modo, qvo Emplastrum Cantharidum, servetur.

Sit colore e flavo fusco; inter digitos facillime mollescat.

Emplastrum gummi-resinosum.

Emplastrum gummosum D. 50.
(Emplastrum gummi-resinosum Sv. 45. N. 54).

Gummi-Plaster.

℞. Emplastri Oxydi plumbici partes duodecim, ... 12

Cerae flavae partes duas, ... 2

liqvefiant et, addita copia sufficienti

Orleanae in Spiritu concentrato bene tritae,

colore e rubro flavo tingantur. Massa leniter calefiat, donec Spiritus aufugerit, deinde nonnihil refrigerata inter assiduam agitationem commisceatur cum

Gummi-resinae Ammoniaci pulverati 1

Gummi-resinae Galbani pulverati, singulorum parte una, ... 1

antea, leni calore adhibito, in

Balsami Terebinthinae venetae parte una 1

exstincta. Emplastrum, ubi satis obriguit, in magdalides formetur.

Sit lentum et colore e rubro flavo.

Emplastrum Hydrargyri.

Emplastrum mercuriale D. 50.
(Emplastrum Hydrargyri Sv. 45. N. 54).

Merkurial-Plaster.

℞. Hydrargyri partes qvattuor,..... 4
assidue conterantur cum

Balsami Terebinthinae communis partibus duabus,.. 2
addita

Aetherolei Terebinthinae crudi aliqva parte,
donec globuli Hydrargyri non amplius conspici possint. Deinde inter assiduam agitationem mixtura fluida, non nimis calida, parata ex

Emplastri Oxydi plumbici partibus undecim,..... 11
Cerae flavae partibus tribus 3
sensim admisceatur.

Massa, ubi satis obriguit, in magdalides formetur.

Sit colore cinereo et ponderosum. Globuli Hydrargyri in Emplastro ne appareant.

Emplastrum Manus Dei.

Guds-Haands-Plaster.

℞. Emplastri Oxydi plumbici partes centum qvinqvaginta,..... 150
inter agitationem saepe repetitam cum

Aeruginis subtilissime pulveratae partibus qvattuor 4
coqvantur, donec massa colorem e fusco rubrum induat; tum statim liqvefiat cum

Cerae flavae partibus triginta duabus..... 32
et nonnihil refrigerata inter assiduam agitationem commisceatur cum

Gummi-resinae Galbani pulverati,..... 4

Gummi-resinae Ammoniaci pulverati, ... 4
Gummi-resinae Olibani pulverati, ...
singulorum partibus qvattuor; 4
Gummi-resinae Myrrhae pulveratae 1
Resinae Mastiches pulveratae, singulorum parte una 1.

Massa, ubi satis obriguit, in magdalides formetur.

Sit colore e fusco rubro, postea exterior pars colorem subviridem induat.

Emplastrum Meliloti.

(Emplastrum Herbae Melilotorum N. 54).

Meloten-Plaster.

℞. Resinae Pini flavae partes duodeviginti,..... 18
Cerae flavae partes qvindecim, ... 15
Sevi ovilli partes sex,..... 6
Olei Olivarum partes tres,..... 3

liqvefiant. Deinde mixturae colatae addantur

Gummi-resinae Ammoniaci pulverati leni igne emolliti partes duae,..... 2

qvae primum cum parte massae Emplastri conterantur, deinde cum reliqva parte commisceantur. Massae probe refrigeratae admisceantur

Herbae Meliloti pulveratae bene siccatae partes novem 9.

Emplastrum refrigeratum, Oleo Olivarum adhibito, in magdalides formetur et eodem modo, qvo Emplastrum Cantharidum, servetur.

Sit colore e subflavo viridi.

Emplastrum Minii camphoratum.

(Ad modum Kjongii).

℞. Minii nuper per cribrum trajecti partes triginta duas, 32

in vase amplo inter assiduam agitationem coqvantur cum

Olei Olivarum partibus qvinqvaginta sex, ... 56

donec massa colorem obscure fuscum induat. Massae paene refrigeratae admisceantur

Camphorae contusae partes qvattuor,..... 4

antea in

Pyrolei Petrae parte una 1

contritae. Massa in capsulas papyraceas effundatur vel refrigerata in magdalides formetur et, charta cerata diligenter involuta, servetur.

Sit molliusculum et colore e nigro fusco; postea exterior pars colorem paullo clariorem induat.

Emplastrum Oxydi plumbici.

Emplastrum commune s. Lithargyri D. 50.
(Emplastrum plumbicum Sv. 45. N. 54).

Almindeligt Sølverglød-Plaster.

℞. Olei Olivarum partes novem,..... 9

in vase apto et peramplo ad 110° vel 112° calefiant, deinde iis ab igne remotis sensim admisceantur

Oxydi plumbici subtilissime pulverati et nuper per cribrum trajecti partes qvinqve, ... 5

et Aqvae communis calidae pars una ..... 1.

Leni igne coqvantur, dum spathula lignea lente et assidue agitentur, et parvae portiones Aqvae communis calidae subinde addantur, donec Emplastrum factum sit. Inter totam operationem providendum est, ut parva copia Aqvae in massa semper insit, neve Oxydum plumbicum ad fundum vasis adhaerescat. Massa per breve temporis spatium seposita, Emplastrum ab Oxydo plumbico fortasse nondum soluto defundatur et refrigeratum in magdalides formetur.

Sit subalbum, lentum, tactu non ungvinosum; Oxydo plumbico non soluto vacuum sit.

Emplastrum saponatum.

Sæbe-Plaster.

℞. Emplastri Oxydi plumbici partes septuaginta duas, . 72

leni calore inter agitationem liqvefiant, donec omnis Aqva, qvae fortasse inest, aufugerit; deinde cum

Cerae flavae partibus duodecim. 12

liqvefiant; tum inter perpetuam agitationem sensim addantur

Saponis albi oleacei pulverati partes octo . . . . . 8.

Massae prope refrigeratae inter assiduam agitationem addatur

Camphorae cum exigua Olei Olivarum qvantitate contritae pars una, ... 1

qvo facto, Emplastrum, ubi obriguit, in magdalides formetur, qvae, charta cerata diligenter involutae, serventur.

Sit molliusculum et colore e griseo flavo vel e griseo albo.

Emplastrum sticticum.

(N. 54).

Beg-Plaster.

℞. Resinae Pini flavae, ... 8

Picis Pini, ... 8

Cerae flavae, singulorum partes octo, ... 8

inter agitationem liqvefiant cum

Sevi ovilli parte una . . . . . 1.

Massa colata in capsulas effundatur vel refrigerata in magdalides formetur.

Sit colore e fusco nigro.

Emulsio Amygdalarum.

(Loco Emulsionis communis).

(Emulsio amygdalina Sv. 45. Emulsio amygdalarum dulcium N. 54).

Almindelig Emulsion, Mandel-Emulsion.

℞. Amygdalarum dulcium cortice denudatarum partes duas; 2

cum Aqva communi in massam mollem et pultaceam primum contundantur, deinde tanta copia Aqvae communis sensim admisceatur, ut colatura sit

partium qvattuordecim; 14

in qvibus

Sacchari albi pars una 1

solvatur.

Paretur ex tempore.

Euphorbium.

(Sv. 45. Resina Euphorbiarum N. 54)

Euphorbium.

Euphorbia officinarum L. et aliae species affines.

Frusta sordide subflava, saepe perforata, figura varia, ciceris vel avellanae magnitudine, in frigore fragilia, odoris expertia, pulverata sternutamentum vehementissimum excitantia. In Aqva pro minima parte solvuntur, in Spiritu et Aethere ex parte solvuntur. Frusta ramulorum fructuumqve saepe admixta diligentissime secernantur.

Extracta.

In Extractis parandis haec observanda sunt, nisi alia parandi ratio praescripta est:

Aqva communis ad extrahendum adhibenda Calce substantiisqve organicis qvam maxime vacet. Maceratio calorem 15°—20°, digestio calorem 35°—40° reqvirit. Sive macera-

tione sive digestione Extractum paratur, massa aliqvoties in die probe qvassanda vel agitanda est.

Majorem partem Spiritus ad extrahendum adhibiti ante evaporationem, leni calore adhibito, destillatione detrahere licet. Evaporatio fiat sine ulla intermissione et inter agitationem perpetuam. Qvamdiu liqvor pertenuis est, evaporatio fieri potest super ignem carbonarium lenem et apertum, deinde in balneo aqvae vel vaporis fiat, calore nunqvam 90° excedente, postea autem, si ad siccitatem evaporatur, nunqvam 50° excedente. Extractum consistentiae ordinariae ea sit crassitudine, ut in temperatura media in fila diduci possit, e vase effundi non possit. Extracta substantias, e qvibus parata sunt, redoleant et resipiant, odore empyreumatico metallisqve alienis vacent.

Pharmacopolis parvas copias Extractorum narcoticorum siccorum in promptu habere licet, qvae hac ratione conficiantur:

Extracti uni parti 1

sensim addatur

Radicis Glycyrrhizae echinatae subtilissime pulveratae pars una, ... 1.

In mortario porcellaneo calefacto misceantur; mixtura continenter agitata, calore circiter 50° adhibito, siccetur, donec pondus ejus non amplius diminuatur, deinde massae adhuc calidae tantum

Radicis Glycyrrhizae echinatae subtilissime pulveratae

probe admisceatur, ut totum

partes duas 2

efficiat.

Hujus Extracti sicci ad pulveres mixtos dispensetur copia duplo major, qvam qvae Extracti consistentiae ordinariae a medico praescripta sit.

Serventur Extracta loco sicco, non nimis calido in vasis porcellaneis vel vitreis vel murrhinis, antea siccatis; vasa claudenda sunt, ubi primum Extractum frigidum est. Extracta

tenuia vel Extracta pulverata et sicca in vasis firmis obturamentisqve subereis clausis potissimum servanda sunt.

Extractum Absinthii.

(Sv. 45. Extractum Herbae Absynthii N. 54).

Malurt-Extrakt.

℞. Herbae Absinthii minutim concisae ..... q. v.

Affundatur

Aqvae communis bullientis ..... q. s.

ut massa pultacea efficiatur. Haec massa per horas viginti qvattuor loco frigido seponatur et saepe agitetur, qvo facto liqvor prelo exprimatur et seponatur.

Parti residuae iterum affundatur

Aqvae communis bullientis ..... q. s.

ut massa pultacea formetur, qvae massa eadem ratione, qvam supra commemoravimus, per duodecim horas seposita, prelo exprimatur. Liqvores expressi colligantur et loco frigido seponantur, ut turbantes partes subsidant, deinde decantentur et colentur, tum ad dimidiam sui voluminis partem evaporentur; jam per aliqvot horas sepositi et decantati, ut limpidi sint, ad ordinariam Extracti consistentiam evaporentur.

Sit e fusco nigrum, Aqva addita solutionem limpidam et e subviridi fuscam praebeat.

Extractum Aconiti.

Stormhat-Extrakt.

℞. Herbae Aconiti minutim concisae partem unam ..... 1.

Digeratur per triduum

Spiritus concentrati partibus qvattuor ..... 4.

Liqvor refrigeratus prelo exprimatur, seponatur, ut partes turbantes subsidant, filtretur. Residuum per biduum mixtura, ex

Spiritus diluti 3

et Aqvae communis, singulorum partibus tribus 3

parata, digeratur, et liqvor eadem ratione tractetur. Liqvores filtrati colligantur et calore lenissimo ad ordinariam Extracti consistentiam evaporentur.

Sit colore e subviridi nigro. Aqva addita liqvorem e subviridi fuscum et subturbidum praebeat.

Extractum Aloes.

Aloe-Extrakt.

℞. Aloes pulveratae partem unam, ... 1

cui affundantur

Aqvae destillatae partes qvattuor . . . . . 4.

Haec mixtura inter perpetuam agitationem ebulliat, deinde calida coletur et per noctem loco frigido seponatur. Liqvor sedimento jam secreto innatans decantetur, tum ad consistentiam Extracti evaporetur et tenuiter stratus exsiccetur, donec massa in pulverem siccum conteri possit.

Sit colore fusco, pulveratum colore e flavo fusco; Aqva addita solutionem turbidam praebeat.

Extractum Belladonnae.

Belladonnablade-Extrakt.

℞. Foliorum Belladonnae minutim concisorum partem unam . . . . . 1.

Digeratur per triduum

Spiritus diluti partibus qvattuor . . . . . 4.

Liqvor refrigeratus prelo exprimatur, seponatur, ut partes turbantes subsidant, filtretur. Residuum per biduum mixtura, ex

Spiritus diluti 3

et Aqvae communis, singulorum partibus tribus 3
parata, digeratur, et liqvor eadem ratione tractetur. Liqvores filtrati colligantur et calore lenissimo ad ordinariam Extracti consistentiam evaporentur.

Sit colore e subviridi nigro. Aqva addita liqvorem e subviridi fuscum et subturbidum praebeat.

Extractum Calabar.

Kalabar-Extrakt.

℞. Seminis Calabar pulverati partes decem ..... 10.
Digerantur per tres dies mixtura, e

Spiritus concentrati partibus triginta 30
et Aqvae destillatae partibus tribus..... 3
parata; qvo facto, liqvor refrigeratus prelo exprimatur, seponatur, ut turbantes partes subsidant, filtretur.

Residuum iterum per biduum aeqva parte ejusdem mixturae digeratur, deinde prelo exprimatur, seponatur, filtretur. Liqvores filtrati colligantur et ad ordinariam Extracti consistentiam evaporentur.

Sit colore fusco. Sepositum parvam copiam Olei subviridis facile secernit; eam ob causam ante dispensationem agitandum est.

Aqva addita mixturam turbidam et Emulsionis similem praebeat; Spiritus additus solutionem limpidam praebeat.

Extractum Chamomillae.

(Sv. 45).

Kamille-Extrakt.

Paretur e

Floribus Chamomillae vulgaris minutim concisis
eadem ratione, qva Extractum Absinthii.

Sit colore e subviridi fusco. Aqva addita solutionem paene limpidam et e flavo fuscam praebeat.

Extractum Chinae Calisayae.

Extractum Chinae spirituosum D. 50.
(Extractum Corticis Cinchonae regii N. 54).

Konge-China-Extrakt.

℞. Corticis Chinae Calisayae grosse pulverati et pulvere subtili liberati partem unam ..... 1.

Digeratur per triduum

Spiritus diluti partibus qvattuor,..... 4

qvae massa refrigerata prelo exprimatur. Residuum,

Spiritus diluti partibus duabus 2

additis, eadem ratione tractetur, qvo facto, liqvores expressi colligantur, seponantur, ut turbantes partes subsidant, filtrentur; jam ad ordinariam Extracti consistentiam evaporentur et tenuiter strati exsiccentur, donec Extractum in pulverem siccum conteri possit.

Sit colore e subrubro fusco. Aqva addita liqvorem e flavo fuscum et turbidum praebeat.

Nota. Tres partes hujus Extracti respondent circiter qvattuor partibus Extracti Chinae spirituosi, Ph. Dan. 1850.

Extractum Colocynthidis.

Extractum Colocynthidum D. 50.

Koloqvint-Extrakt.

Paretur e

Fructu Colocynthidis Seminibus liberato et minutim conciso

eadem ratione, qva Extractum Belladonnae. Ad ordinariam Extracti consistentiam evaporatum tenuiter stratum exsiccetur, donec massa in pulverem conteri possit.

Sit colore e flavo fusco. Aqva addita liqvorem turbidum et e subflavo fuscum praebeat.

Nota. Tres partes respondent circiter qvattuor partibus ejusdem Extracti, Ph. Dan. 1850.

Extractum Conii.

Extractum Conii maculati D. 50.
(Extractum Herbae Conii N. 54).

Skarntyde-Extrakt.

Paretur ex

Herba Conii minutim concisa

eadem ratione, qva Extractum Belladonnae.

Sit colore e subviridi nigro. Aqva addita liqvorem e subviridi fuscum et subturbidum praebeat.

Extractum Cubebae.

(Loco Extracti Cubebarum aetherei. Ph. D. 50).

Kubebe-Extrakt.

℞. Fructus Cubebae grosse pulverati partem unam .... 1.

Digeratur per triduum

Spiritus concentrati partibus qvattuor, ... 4

qvi liqvor refrigeratus prelo exprimatur, seponatur, ut turbantes partes subsidant, filtretur. Residuum,

Spiritus concentrati partibus qvattuor 4

additis, eadem ratione tractetur. Liqvores filtrati colligantur et calore lenissimo ad consistentiam mellis recentis evaporentur. Sit colore e subviridi fusco. In Aqva dispensari non potest.

Nota. Ante dispensationem agitandum est.

Extractum Gentianae.

(Sv. 45. Extractum Radicis Gentianae N. 54).

Enzian-Extrakt.

Paretur e

Radice Gentianae grosse pulverata

eadem ratione, qva Extractum Absinthii, sed Aqva communis frigida pro Aqva communi bullienti adhibeatur.

Sit colore obscure fusco. Aqva addita solutionem e subrubro fuscam et limpidam praebeat.

Extractum Glycyrrhizae.

Succus Glycyrrhizae depuratus, Extractum Liqviritiae D. 50.

Lakrits-Extrakt.

℞. Extracti Glycyrrhizae crudi; ..... q. v.

per strata, stramine vel viminibus potissimum interjectis, loco frigido in apto vase, laxo operculo tecto, deponatur tantaqve copia

Aqvae communis

perfundatur, ut obtegatur. Frigida maceratione per triduum facta, liqvor defundatur vel detrahatur. Residuum cum recenti copia

Aqvae communis

eadem ratione maceretur, donec Aqva omnia, qvae solvi possint, receperit. Liqvores defusi colligantur, seponantur, ut turbantes partes subsidant, decantentur, colentur, ad ordinariam Extracti consistentiam evaporentur.

Sit colore e nigro fusco. Aqva addita solutionem e subnigro fuscam et limpidam praebeat.

Extractum Glycyrrhizae compositum

Succus Glycyrrhizae compositus D. 50.

Engelsk Lakrits.

℞. Extracti Glycyrrhizae partes duas, ... 2

Gummi arabici partem unam..... 1.

Solvantur in

Aqvae communis ..... q. s.

Solutio seponatur, ut turbantes partes subsidant, deinde decan-

tetur et coletur, tum ad eam crassitudinem evaporetur, ut in bacilla tenuia et cylindrica formari possit. In Aqva solvatur, nullo fere sedimento relicto.

Extractum Glycyrrhizae crudum.

Succus Liqviritiae s. Glycyrrhizae D. 50.
(Sv. 45).

Lakrits.

E Radice Glycyrrhizae glabrae L. et G. echinatae L.

Baculi subcylindrici qvindecim fere centimetra longi, centimetra duo et dimidium fere crassi, e fusco nigri, nitentes, in frigore fragiles, fractura nigra et nitenti, officinae signo instructi; sapore dulci, non empyreumatico, fauces leviter radenti; cum Aqva macerati solutionem limpidam praebeant et residuum formam succi adhibiti exhibens relinqvant.

Optimum e Calabria exportatur.

Extractum Graminis.

Græsrod-Extrakt.

℞. Rhizomatis Graminis recentis concisi partes duas ... 2

Contundantur, dum

Aqvae communis partes tres 3

sensim addantur. Mixtura per duodecim horas loco frigido seposita prelo exprimatur et ad 90°—100° calefiat, donec albumen coagulatum sit; tum colata ad ordinariam Extracti consistentiam evaporetur.

Sit colore e rubro fusco. Aqva addita solutionem paene limpidam praebeat.

Nota. Si

Extractum Graminis liqvidum,

Mellago Graminis D. 50.

(Extractum Stolonum Tritici N. 54).

Tynd Græsrod-Extrakt

postulatum erit, mixtura dispensetur, ex

Extracti Graminis partibus tribus 3
et Aqvae communis parte una 1
parata, qvae per aliqvod tempus seposita limpide defusa sit.

Extractum Hyoscyami.

(Extractum Hyoscyami spirituosum Sv. 45).

Bulmeblade-Extrakt.

Paretur e

Foliis Hyoscyami minutim concisis

eadem ratione, qva Extractum Belladonnae.

Sit colore e subviridi nigro. Aqva addita liqvorem e subviridi fuscum et subturbidum praebeat.

Extractum Menyanthis.

Extractum Trifolii fibrini D. 50.

(Extractum Trifolii aqvatici Sv. 45. Extractum Foliorum Menyanthis N. 54).

Bukkeblade-Extrakt.

Paretur e

Foliis Menyanthis minutim concisis

eadem ratione, qva Extractum Absinthii.

Sit colore e fusco nigro. Aqva addita solutionem e subviridi fuscam et limpidam praebeat.

Extractum Mezerei.

(Sv. 45).

Kjælderhals-Extrakt.

℞. Corticis Mezerei minutim concisi partem unam;..... 1

eam parva copia Spiritus concentrati madefactam et in mortario contusam, donec massa sit lanae condensatae similis, per triduum

Spiritus concentrati partibus qvattuor 4

digere; liqvorem refrigeratum prelo probe exprime. Residuum,

Spiritus concentrati partibus tribus 3

additis, eadem ratione tractetur; qvo facto, liqvores expressi colligantur, seponantur, ut partes turbantes subsidant, filtrentur, ad ordinariam Extracti consistentiam evaporentur.

Sit subviride. In Aqva dissolvi non potest.

Extractum Nucis vomicae.

Extractum Nucum vomicarum D. 50.

Rævekage-Extrakt.

℞. Seminis Nucis vomicae grosse pulverati partes duas. 2.

Calore 50°—60° adhibito, per biduum digerantur

Spiritus diluti partibus qvattuor ..... 4.

Liqvor refrigeratus prelo exprimatur, seponatur, ut turbantes partes subsidant, filtretur. Residuum,

Spiritus diluti partibus tribus 3

additis, eadem ratione tractetur; qvo facto, liqvores filtrati colligantur et ad ordinariam Extracti consistentiam evaporentur; jam tenuiter strati exsiccentur, donec massa in pulverem siccum conteri possit.

Sit colore fusco. Aqva addita liqvorem turbidum praebeat.

Extractum Pomi ferratum.

Extractum Ferri pomatum D. 50.
(Extractum Pomorum ferratum Sv. 45. N. 54).

Æblesurt Jern-Extrakt.

℞. Ferri in filis minutis partem unam, ... 1

Fructus aciduli Pyri Mali cortice denudati et in pultem mollem contusi partes decem; 10

digere saepe agitando Aqvamqve exhalatam restituendo per aliqvot dies, aut donec Ferrum non jam solvi videatur; deinde per qvinqve vel sex horas calori 60°—70° expone.

Massa

Aqvae destillatae partibus qvinqve 5

probe mixta prelo exprimatur. Liqvor loco frigido seponatur, ut partes turbantes subsidant, deinde limpide decantatus coletur et ad ordinariam Extracti consistentiam evaporetur.

Sit colore e subviridi nigro. Aqva addita solutionem paene limpidam praebeat.

Extractum Qvassiae.

(Extractum Ligni Qvassiae N. 54).

Qvassie-Extrakt.

℞. Ligni Qvassiae minutim concisi partem unam; 1

affundantur

Aqvae communis bullientis partes qvattuor; 4

digerantur per biduum, deinde liqvor prelo exprimatur. Residuum,

Aqvae communis bullientis partibus tribus 3

additis, eadem ratione tractetur et prelo exprimatur. Liqvores expressi colligantur, seponantur, ut turbantes partes subsidant, decantentur, colentur, ad ordinariam Extracti consistentiam evaporentur.

Sit colore fusco. Aqva addita solutionem subturbidam praebeat.

Nota. Ante dispensationem agitandum est.

Extractum Ratanhiae.

(Extractum Radicis Krameriae N. 54).

Ratanhie-Extrakt.

Paretur e

Radice Ratanhiae minutim concisa

eadem ratione, qva Extractum Gentianae, sed per temporis spatium altero tanto majus maceretur. Extractum tenuiter stratum exsiccetur, donec in pulverem siccum conteri possit.

Sit splendens, colore e nigro rufo. Aqva addita solutionem turbidam praebeat.

Nota. Tres partes hujus Extracti respondent circiter qvattuor partibus ejusdem Extracti Ph. Dan. 1850.

Extractum Rhei.

Extractum Rhabarbari D. 50.

(Extractum Rhei Sv. 45. Extractum Radicis Rheorum N. 54).

Rhabarber-Extrakt.

℞. Radicis Rhei in taleolas minutas concisae partem unam; 1

per horas viginti qvattuor cum

Aqvae destillatae partibus qvinqve..... 5

maceretur, sine expressione coletur, filtretur. Liqvor filtratus statim ad consistentiam Syrupi evaporetur.

Interea Radix extracta cum

Aqvae destillatae partibus tribus..... 3

per horas duodecim maceretur, qvo facto, liqvor prelo exprimatur, seponatur, ut turbantes partes subsidant, filtretur, ad consistentiam Syrupi evaporetur. Liqvores colligantur, ad ordinariam Extracti consistentiam evaporentur, tenuiter strati exsiccentur, donec massa in pulverem siccum conteri possit.

Sit nitidum, colore e nigro rubro. Aqva addita solutionem e flavo fuscam et subturbidam praebeat.

Extractum Rhei jalapinum.

Extractum Rhei compositum D. 50.

(Massa Pilularum Radicis Rheorum compositarum N. 54).

Rhabarber-Extrakt med Jalape.

℞. Extracti Aloes partes qvinqve,..... 5

Extracti Rhei partes sedecim..... 16.

Leni calore solvantur in

Aqvae destillatae partibus viginti una..... 21

et misceantur

Massae Pilularum Resinae Jalapae partibus octo,... 8
in Spiritus diluti partibus sedecim..... 16
solutis.

Tota massa continenter agitata leni calore ad
partes triginta duas 32
evaporetur et in vase probe clauso servetur.

Sit colore e nigro fusco. Aqva addita solutionem subturbidam praebeat.

Extractum Secalis cornuti.

Meldrøie-Extrakt.

℞. Secalis cornuti nuper pulverati partem unam, ... 1
maceretur per duodecim horas loco frigido cum

Aqvae destillatae partibus tribus,..... 3
deinde liqvor prelo exprimatur. Residuum,

Aqvae destillatae partibus tribus 3
additis, eadem ratione tractetur, deinde prelo exprimatur. Liqvores expressi colligantur et per aliqvot horas seponantur, ut turbantes partes subsidant, deinde colentur, qvo facto, statim, calore lenissimo adhibito, ad syrupi consistentiam evaporentur; refrigerati cum

Spiritus diluti parte una 1
conqvassentur et per diem loco frigido seponantur; jam filtrentur et, calore lenissimo adhibito, ad ordinariam Extracti consistentiam evaporentur.

Sit colore e subrubro fusco. Et in Aqva et in Spiritu solutiones limpidas praebeat.

Nota. Duae partes respondent circiter tribus partibus ejusdem Extracti Ph. Dan. 1850.

Extractum Stramonii.

Pigæbleblade-Extrakt.

Paretur e

Foliis Stramonii minutim concisis
eadem ratione, qva Extractum Belladonnae.

Sit colore e subviridi nigro. Aqva addita liqvorem e subviridi fuscum et subturbidum praebeat.

Extractum Taraxaci.

(Sv. 45).

Løvetand-Extrakt.

Paretur e

Radice Taraxaci cum Herba recenti contusa
eadem ratione, qva Extractum Graminis.

Sit colore e nigro fusco. Aqva addita solutionem obscure fuscam et paene limpidam praebeat.

Nota. Si

Extractum Taraxaci liqvidum,

(Extractum Radicis et Herbae Taraxaci N. 54).

Tynd Løvetand-Extrakt

postulatum erit, ex Extracto Taraxaci eadem ratione paretur, qva Extractum Graminis liqvidum.

Farina Hordei praeparata.

(Sv. 45).

Bryst-Mel.

Cylindrus e laminis ferreis stanno obductis confectus Farina Seminis Hordei distichi et H. hexastichi valde compressa ita compleatur, ut duae partes cylindri repletae sint, atqve ita claudatur, ut Aqva in cylindrum penetrare non possit. Tum cylindrus suspendatur in aheno destillatorio, cujus duae partes Aqva compleantur, et, alembico adaptato, Aqva qvattuordecim fere horas bulliat. Massa farinacea refrigerata, stratum superius pulvereum auferatur, sed reliqva pars in pulverem redigatur, deinde siccetur et in vase clauso loco sicco servetur.

Sit pulvis e rubello subflavus, sapore subdulci et valde mucilaginoso, odore panis simili.

Ferrum pulveratum.

(*Sv. 45*).

Pulveriseret Jern.

Sit pulvis subtilissimus, cinereus, ponderosus, in Acido hydrochlorato, nullo gasis Sulphidi hydrici odore orto, paene sine residuo solvatur. Ubi Ferrum hujus solutionis, Acido nitrico ad perfectam Ferri oxydationem addito, Solutione Ammoniaci abundanti secretum erit, filtratum hujus liqvoris, Solutione Sulphohydratis ammonici addita, limpidum maneat. Ferrum pulveratum in apparatu Marshii tractatum maculas Arsenici ne efficiat. In vase probe obturato loco sicco servetur.

Ferrum reductum.

Reduceret Jern.

Pulvis subtilissimus et e cinereo niger; in mortario porcellaneo tritus lineas metallicas exhibeat. In Acido hydrochlorato paene sine residuo solvatur, gas hydrogenium exhalans. Si unam partem pulveris cum viginti partibus Solutionis Chloreti ferrici in lagena obturata conqvassaveris, summum tertia pars non soluta remaneat. Servetur loco sicco in vase probe clauso.

Flores Arnicae.

(*Arnicae Flores Sv. 45. Flores Arnicae montanae N. 54*).

Arnikablomster.

Arnica montana L.

Flosculi vitellini, pappo piloso, scabro, fragili instructi, germine tuboqve pubescentes; flores radiales sunt feminei, ligulati, qvattuor fere millimetra lati, tridentati, flores discales sunt hermaphroditi, tubulosi, qvinqvedentati. Sunt sapore acri et subamaro; pulvis sternutamentum movet.

Ne dispensentur nisi peranthodio liberati.

Flores Caryophylli.

Caryophylli D. 50.
(Sv. 45. Flores immaturi Caryophylli aromatici N. 54).

Nelliker.

Caryophyllus aromaticus L.

Alabastri colore fusco, cylindrati vel subangulati, coronati calice qvadripartito, corollam clausam, globosam, caducam includente. Sint odore fragrantissimo, manducati os urant; sint ponderosi et digitis pressi Aetheroleum exsudent. In vase probe clauso serventur.

Flores Chamomillae romanae.

(Flores Anthemidis nobilis N. 54).

Romerske Kamilleblomster.

Anthemis nobilis L.

Calathia radiata, cultura luxuriantia, peranthodio imbricato, receptaculo convexo et paleis apice obtusis lacerisqve obsito; flosculi pappo carent; flosculi disci tubulosi et flavi maxima ex parte in radii flosculos albos et ligulatos mutati sunt. Odore sunt fragranti et aromatico, sapore amaro.

Flores Chamomillae vulgaris.

(Chamomillae nostratis Flores Sv. 45. Flores Matricariae Chamomillae N. 54).

Kamilleblomster.

Matricaria Chamomilla L.

Calathia radiata, periclinio imbricato, receptaculo conico, nudo, cavo, flosculis disci flavis et tubulosis, radii albis et ligulatis, pappo nullo; odore sunt peculiari et fragranti, sapore amaro. Ne confundantur cum aliis Compositis similibus, receptaculo medulloso, non cavo instructis.

Flores Cinae.

Semina Cynae s. Santonici levantica D. 50.
(Cinae levanticae v. Santonici levantici Semina Sv. 45. Flores Artemisiae Vahlianae N. 54).

Ormefrø.

Artemisiae species huc usqve ignotae.

Calathia pauciflora, clausa, oblonga, prismatica, glabra, colore subviridi, subflavo vel subfusco, duo fere millimetra longa; periclinii sqvamae sunt carinatae, imbricatae, membranaceo-marginatae, dorso glandulis minutis et aureis inspersis, exteriores sqvamae sunt ovoideae, minores qvam interiores oblongae; sapore et odore sunt peculiari, ingrato, subnauseoso.

Flores levantici, qvi dicuntur, soli adhibendi sunt. Indici, majores glandulisqve resinaceis majoribus instructi, et barbarici, indumento cano-tomentoso tecti, rejiciendi sunt.

Flores Kusso.

Kussoblomster.

Hagenia abyssinica Willd.

Paniculae femineae, coarctatae, ramosissimae, villosae, multiflorae, floribus perigynis, plus minusve defloratis, bibracteolatis, subrotundis, sepalis qvattuor vel qvinqve exterioribus oblongis, unum fere centimetrum longis, membranaceis, reticulato-venosis, subrubris vel subviridibus; sapore nauseoso et subamaro. Sepalae exteriores florum masculorum multo minores sunt qvam interiores, contraria est ratio florum femineorum. Serventur flores loco sicco in vasis diligenter clausis, a luce remotis; ante dispensationem a crassioribus pedunculis purgentur.

Flores Lavandulae.

(Lavandulae Flores Sv. 45. Flores Lavandulae Spicae N. 54).

Lavendelblomster.

Lavandula angustifolia Ehrh., Lavandula officinalis Chaix.

Flores coerulei, calice cylindrico, striato, villoso, qvinqvedentato, summo dente majore, corolla bilabiata, odore fragranti et aromatico. Flores plantarum cultarum nondum plane evolutos colligere licet.

Flores Lavandulae Spicae (latifoliae) L. calice ferrugineo vel subviridi et villoso instructi sunt; minores sunt et odore fortiore sed minus fragranti.

Flores Rhoeados.

Flores Papaveris Rhoeados D. 50.

Kornvalmueblade.

Papaver Rhoeas L.

Petala tenuia, subrotunda, qvinqve circiter centimetra lata, siccata sordide purpurea, macula saepe nigra basi adspersa; odoris paene expertia sunt, sapore mucilaginoso et subamaro.

Flores Rosae centifoliae.

Flores Rosarum incarnatarum s. pallidarum D. 50.
(Rosae multiplicis v. incarnatae Petala Sv. 45. Petala Rosae centifoliae N. 54).

Blegrøde Rosenblade.

Rosa centifolia L.

Petala pallide rubentia, subrotunda, ovoidea, odore gratissimo, sapore subadstringenti. Colligantur plane evoluta; recentia cum aeqvo pondere Chloreti natrici condiantur.

Flores Rosae gallicae.

(Rosae domesticae v. purpureae Petala Sv. 45).

Mørkerøde Rosenblade.

Rosa gallica L.

Alabastra nondum evoluta, petalis purpureis, infra in ungvem angustiorem et subflavum transeuntibus; ungvis cum genitalibus inclusis abscidendus est. Odore sunt debili et grato, sapore subadstringenti.

Flores Sambuci.

(Sambuci Flores Sv. 45. Flores Sambuci nigrae N. 54).

Hyldeblomster.

Sambucus nigra L.

Cymae qvinqveradiatae, multiflorae, corollis epigynis, rotatis, e flavo albidis, odore peculiari. Flores nigrescentes rejiciendi sunt.

Flores Tanaceti.

(Tanaceti Summitates Sv. 45. Flores Tanaceti vulgaris N. 54).

Regnfangblomster.

Tanacetum vulgare L.

Calathia ad corymbum disposita, hemisphaerica, aureoflava, discoidea, supra plana, mox infra subconvexa, periclinio imbricato, receptaculo convexo, nudo, flosculis freqventibus et tubulosis obsito, qvorum marginales sunt tridentati et feminei, discales qvinqvedentati et hermaphroditi. Odore sunt gravi et aromatico, sapore amaro et aromatico.

Flores Tiliae.

(Tiliae Flores Sv. 45).

Lindeblomster.

Tilia grandifolia, Ehrh., intermedia D. C., parvifolia Ehrh.

Cymae tri — vel septemflorae, usqve ad mediam partem um bractea tenui, lineari-oblonga, reticulato-venosa, e flavo viridi connatae. Flores sunt e flavo albidi, pentapetali, staminibus plurimis, germine subgloboso et tomentoso; siccati odore sunt debili, sapore subdulci. Serventur in vase probe clauso.

Flores Verbasci.

(Verbasci Flores Sv. 45. Flores Verbasci Thapsi N. 54).

Kongelysblomster.

Verbascum Thapsus L. Verbascum thapsiforme Schrader.

Corollae satis magnae, rotatae, subregulares, aureo-flavae, staminibus superioribus tribus brevioribus et albido-tomentosis, inferioribus duobus longioribus et nudis; odore debili, manducatae sapore mucilaginoso et subdulci. Siccati in vase antea calefacto et diligento clausis serventur.

Folia Belladonnae.

(Belladonnae Folia Sv. 45. Folia Atropae Belladonnae N. 54).

Belladonnablade.

Atropa Belladonna L.

Folia ovalia, in petiolum attenuata, integerrima, acuta, supra saturate viridia, novella pubescentia, adultiora nervis solis subpubescentia; odore subnarcotico, sapore ingrato et subamaro.

Folia Bucco.

(Bucco Folia Sv. 45).

Bucco-Blade.

Barosma crenata Kze. Barosma crenulata Hook. B. betulina Bartl.

Folia crassa, glandulosa, tri- vel qvinqvenervia, glaa, odore gravi et aromatico, sapore aromatico et subcamphorac aut ovato oblonga, serrulata, aut ovata vel obovata, trunca vel rotundata, margine cartilaginea, aut rhombico-obovata apice reflexa, irregulariter dentata. Serventur in vase diligenter clauso.

Folia Cardui benedicti.

Herba Cardui benedicti D. 50.

(Cardui benedicti Folia Sv. 45. Herba florens Cnici benedicti N. 54).

Korbendiktblade.

Cnicus benedictus L.

Folia oblongo-lanceolata vel lanceolata, in petiolum attenuata, sinuato-pinnatifida, echinato-dentata, villosa, sapore peramaro et salso.

Folia Digitalis.

(Digitalis Folia Sv. 45. Folia Digitalis purpureae N. 54).

Fingerbølleblade.

Digitalis purpurea L.

Folia ovato-lanceolata, in petiolum attenuata, rugosa, crenata, inprimis infra plus minusve villosa, sapore amaro et nauseoso. Colligenda sunt e planta sua sponte crescenti, non ex culta. Folia plantae cultae vestimenti villosi aut plane aut ex parte expertia sunt.

Ut pulvis paretur, costae foliorum secernendae sunt; pulvis, cujus haud nimia copia paranda est, in vase diligenter clauso et a luce remoto servetur.

Folia Farfarae.

Folia Tussilaginis D. 50.

(Tussilaginis Folia Sv. 45. Folia Tussilaginis Farfarae N. 54).

Hestehovblade.

Tussilago Farfara L.

Folia subrotundo-cordata, sinuato-angulata, dentata, infra albido-tomentosa, supra glabra et subviridia, sapore amaro et subadstringenti.

Folia Hyoscyami.

(Hyoscyami Folia Sv. 45. Folia Hyoscyami nigri N. 54).

Bulmeurtblade.

Hyoscyamus niger L.

Folia ovato-oblonga, sinuato-dentata, villosa, odore nauseoso et narcotico; colligenda sunt e plantis sua sponte crescentibus.

Folia Melissae.

Folia Melissae citratae D. 50.

(Melissae citrinae Herba florens Sv. 45. Herba florens Melissae officinalis N. 54).

Melisseblade.

Melissa officinalis L. var. citrata Bisch.

Folia petiolata, ovoidea vel subcordata, crenato-serrata, subviridia, infra pallidiora, nervis pilosa, odore grato et aromatico, sapore subamaro.

Folia Menthae crispae.

(Menthae crispae Herba Sv. 45. Herba florens Menthae crispae N. 54).

Krusemynteblade.

Mentha crispa L. Mentha crispata Schrader.

Folia subsessilia, cordata vel rotundo-ovoidea, bullato-rugosa, undulata, serrata, obtusa vel acuta, utraqve superficie hirsuta, infra glandulosa, odore peculiari, manducata os urentia.

Folia Menthae piperitae.

(Menthae piperitidis Herba efflorescens Sv. 45).

Pebermynteblade.

Mentha piperita L.

Folia longa petiolata, oblonga, acuta, argute serrata, subglabra, glandulosa, odore fragranti, sapore peculiari et camphoraceo, primum os urenti, deinde frigoris sensum relinqventi.

Ne confundantur cum foliis sessilibus, minus aromaticis Menthae viridis L.

Folia Menyanthis.

Folia Trifolii fibrini D. 50.

(Trifolii aqvatici Folia Sv. 45. Folia Menyanthis trifoliatae N. 54).

Bukkeblade.

Menyanthes trifoliata L.

Folia petiolata, ternata, foliolis subsessilibus, ovalibus vel oblongis, obtusis, leviter repando-crenatis, glabris, laete viridibus, sapore peramaro.

Folia Nicotianae.

(Nicotianae v. Tabaci Folia recentia et siccata Sv. 45. Folia Nicotianae Tabaci N. 54).

Tobaksblade.

Nicotiana Tabacum L.

Folia magna, oblongo-lanceolata, acuta, basi attenuata, integerrima, glanduloso-villosa, siccata fusca, odore peculiari, manducata sapore acri. Folia, qvae Virginiana appellantur, sola adhibere licet.

Folia Salviae.

(Salviae Folia Sv. 45. Folia Salviae officinalis N. 54).

Salvieblade.

Salvia officinalis L.

Folia petiolata, oblonga, rugosa, crenulata, tenui-tomentosa; manducata adstringentia, sapore amaro, odore aromatico.

Folia Sennae.

Folia Sennae alexandrinae D. 50.

(Sennae sic dictae Alexandrinae Foliola Sv. 45. Folia Cassiarum N. 54).

Sennesblade.

Cassia lenitiva Bischoff.

Folia subcoriacea, ovalia vel oblonga, integerrima, basi obliqva, media parte latiora, acuta, mucronulata, venosa, plus minusve pubescentia, pallide subglauca, odore peculiari, sapore subamaro et nauseoso. Adhibeantur folia alexandrina et tripolitana, qvae vocantur; priora foliis rigidis, lanceolatis, basi aeqvalibus, uninerviis, glaucis, pubescentibus Solenostemmatis Argel Hayne mixta reperiuntur, qvibus omnino purgentur non necesse est; stipitibus et leguminibus, qvantum fieri potest, vacent.

Venalia sunt foliorum fragmenta, qvae Folia Sennae parva appellantur; haec propter freqventem adulterationem adhibere non licet.

Folia Sennae Spiritu extracta.

Harpixfrie Sennesblade.

℞. Foliorum Sennae partem unam; 1

maceretur per biduum cum

Spiritus concentrati partibus qvattuor, ... 4

deinde exprimatur et siccetur.

Folia Stramonii.

(Stramonii Folia Sv. 45. Folia Daturae Stramonii N. 54).

Pigæbleblade.

Datura Stramonium L.

Folia petiolata, ovata, acuta, sinuato-dentata, novella pubescentia, adultiora nervis raris pilis obsitis, supra saturate viridia, infra pallidiora, odore narcotico, sapore nauseoso et amaro.

Folia Uvae Ursi.

(Sv. 45. Folia Arctostaphyli officinalis N. 54).

Melbærblade.

Arctostaphylos officinalis Wim. et Grab.

Folia obovata, coriacea, integerrima, glabra, nitida, reticulato-venosa, manducata adstringentia, sapore amaro.

Fructus Anisi.

Semina Anisi vulgaris D. 50.

(Anisi Semina Sv. 45. Fructus Pimpinellae Anisi N. 54).

Anis.

Pimpinella Anisum L.

Diachenia late ovata, a latere subcompressa, dense et breviter pubescentia, e cinereo subviridia, duo fere millimetra longa; constant ex duobus schizocarpiis, plerumqve cohaerentibus, qvorum utrumqve qvinis costis angustis instructum est; sunt odore aromatico, manducata os leviter urunt. Sint fructus plane maturi, et, qvantum fieri potest, stipitibus, glebulis, aliis qvisqviliis vacent.

Parvi, acuti, subnigri sunt rejiciendi.

Cave ne mixti sint Fructibus Conii non pubescentibus costisqve undulato-crenatis.

Fructus Anisi stellati.

Semina Anisi stellati D. 50.

(Anisi stellati Pericarpia cum seminibus Sv. 45. Fructus Illicii anisati N. 54).

Stjerneanis.

Illicium anisatum Loureiro.

Carpella drupacea, dura, suboctona, stellatim divergentia, cymbiformia, compressa, extrinsecus e cano fusca, rugosa, intus levigata, superiore sutura dehiscentia, monosperma; semine compresso, nitido, badio; odore aromatico; manducata os leviter urentia, sapore subdulci, aromatico. Qvantum fieri potest, stipitibus vacent.

Fructus Aurantii immaturus.

Poma Aurantiorum immatura D. 50.

(Aurantii Fructus immaturi Sv. 45. Fructus Citri Aurantii immaturi N. 54).

Umodne Pommeranser.

Citrus vulgaris Risso.

Baccae immaturae, globosae, glandulosae, multiloculae, ad magnitudinem cerasorum electae, durae, colore e viridi subnigro, odore aromatico, sapore amaro.

Fructus Avenae excorticatus.

(Avenae Crimna Sv. 45).

Havregryn.

Avena sativa L.

Fructus Cannabis.

Semina Cannabis D. 50.

(Cannabis Semina Sv. 45. Fructus Cannabis sativae N. 54).

Hampefrø.

Cannabis sativa L.

Nuculae ovatae subcompressae, bivalvares, indehiscentes, uniloculae, monospermae, pericarpio fragili, e subviridi vel e cinereo fusco, glabro, semine oleoso, sapore pingvedineo et subdulci.

Fructus Capsici.

(*Piperis hispanici v. indici Baccae Sv. 45. Fructus Capsici annui N. 54*).

Spansk Peber.

Capsicum annuum et longum Fingerhut.

Baccae submaturae, exsuccae, conicae, plerumqve rubrae, nitidae, calice planiusculo fultae, intus cavae, incomplete bi — vel triloculae, pericarpio tenui et coriaceo, seminibus planis, subflavis, sporophoro magno affixis; manducatae os acriter urunt, contritae sternutamentum vehementissimum movent.

Fructus Cardamomi.

Cardamomum minus D. 50.

(*Sv. 45. Semina Elettariae Cardamomi N. 54*).

Malabar-Kardamome.

Elettaria Cardamomum White.

Capsulae chartaceae, trigonae, striatae, octo ad duodecim millimetra longae, colore stramineo, triloculae, multispermae, seminibus parvis, duriusculis, fuscis, obtusangulis, rugosis, in altera parte sulcatis, odore peraromatico, manducatis os urentibus. Anteqvam ad pulverem parandum adhibentur, pericarpia removenda sunt; semina ex capsulis exempta ne emantur.

Fructus Carvi.

Semina Carvi D. 50.

(*Carvi Semina Sv. 45. Fructus Cari Carvi N. 54*).

Kommen.

Carum Carvi L.

Diachenia oblonga, a latere valde compressa, qvattuor circiter millimetra longa; constant ex duobus schizocarpiis, facile separabilibus, angustis, utrinqve angustatis, qvorum utrumqve qvinis costis angustis et sulcis latis, fuscis, univittatis in-

structum est. Manducata os leviter urunt, odore sunt peculiari, aromatico. Sint diachenia plane matura, et, qvantum fieri potest, stipitibus aliisqve qvisqviliis vacent.

Fructus Citri.

Poma Citri D. 50.

(Citri Fructus recens Sv. 45. Fructus Citri medicae N. 54).

Citroner.

Citrus Limonum Risso.

Baccae recentes, multiloculae, vertice umbilicatae, pericarpio tenui, extrinsecus flavo, glanduloso, pulpa succulenta et peracida.

Fructus Colocynthidis.

Colocynthides D. 50.

(Colocynthidis Pulpa Sv. 45. Pulpa Fructuum Cucumeris Colocynthidis N. 54).

Koloqvinter.

Cucumis Colocynthis L.

Baccae decorticatae, siccatae, globosae, mali magnitudine, carne levissima, spongiosa, albida, peramara, multis seminibus parietalibus. Praeferendae sunt eae, in qvibus major copia carnis et pauca semina insunt. Semina ante usum removeantur.

Fructus Coriandri.

Semina Coriandri D. 50.

(Coriandri Semina Sv. 45).

Koriander.

Coriandrum sativum L.

Diachenia globosa, calice coronata, duo ad tria millimetra crassa, e fusco flava, intus cava; constant ex duobus schizocarpiis plerumqve cohaerentibus, dorso multistriatis. Manducata os urunt, sapore sunt subdulci, aromatico, odore aromatico.

Fructus Cubebae.

Cubebae s. Piper caudatum D. 50.

(Cubebae Sv. 45. Fructus Piperis Cubebae N. 54).

Kubeber.

Cubeba officinalis Miquel.

Drupae submaturae, duriusculae, subglobosae, monospermae, reticulatim rugosae, pericarpio tenui, basi angustiore, qvae fructum longitudine superet. Colore sunt e cinereo obscure fusco, magnitudinem Piperis nigri adaeqvant, manducatae os urunt, odore sunt fragranti et peculiari.

Fructus Foeniculi.

Semina Foeniculi D. 50.

(Foeniculi Semina Sv. 45. Fructus Foeniculi officinalis N. 54).

Fennikelfrø.

Foeniculum officinale Allioni.

Diachenia oblonga, teretiuscula, subfusca vel subviridia, qvattuor fere millimetra longa; constant ex duobus schizocarpiis qvinqvecostatis, plerumqve separatis, costis carinatis et pallidioribus, sulcis latis et fuscis; manducata os leviter urunt, sapore sunt subdulci, odore peculiari.

Fructus Juniperi.

Baccae Juniperi D. 50.

(Juniperi Baccae Sv. 45. Fructus Juniperi communis maturi N. 54).

Enebær.

Juniperus communis L.

Galbuli globosi, pisi magnitudine, carnosi, supra tribus gibbis sutura triradiata separatis coronati, trispermi, extrinsecus e nigro fusci, subcaerulei, carne e subviridi fusca, seminibus duris, triangularibus, sapore subdulci, postremo subamaro, odore aromatico.

Fructus Lauri.

Baccae Lauri D. 50.

(Lauri Baccae Sv. 45. Fructus Lauri nobilis N. 54).

Laurbær.

Laurus nobilis L.

Drupae siccatae, ovales, subrogosae e fusco nigrae, parvi cerasi magnitudine, pericarpio tenui et fragili, semine pallide fusco et oleoso-carnoso paene repleto, qvod facile in duas partes hemisphaericas dividi possit. Odore sunt aromatico, sapore oleoso, amaro, aromatico.

Fructus Papaveris.

Capita Papaveris albi D. 50.

(Papaveris Capita Sv. 45. Fructus Papaveris somniferi immaturi N. 54).

Valmuefrugter.

Papaver somniferum L.

Capsulae immaturae, cum seminibus siccatae, ovoideo-oblongae, juglandis circiter magnitudinem adaeqvantes, stigmate magno, peltato, radiato coronatae, spermatophoris pluribus parietalibus instructae; odore sunt subnarcotico, sapore nauseoso et amaro.

Fructus Petroselini.

Semina Petroselini D. 50.

(Petroselini Semina Sv. 45. Fructus Petroselini sativi N. 54).

Petersillefrø.

Petroselinum sativum Hoffmann.

Diachenia ovoidea, a latere compressa, duo fere millimetra longa, glabra, e cano subviridia, constant ex duobus schizocarpiis, qvorum utrumqve qvinis costis primariis filiformibus clarisqve et sulcis unistriatis medioqve elevatis instructum est; manducata os urunt, odore sunt gravi.

Fructus Phellandrii.

Semina Phellandrii D. 50.

(*Phellandrii Semina Sv. 45. Fructus Oenanthes Phellandrii N. 54*).

Vandfennikelfrø.

Oenanthe Phellandrium Lamarck.

Diachenia oblonga, subrotunda, sursum paullum attenuata, calice coronata, costis obtusis sulcisqve angustis instructa, qvattuor fere millimetra longa, fusca; constant ex duobus schizocarpiis plerumqve cohaerentibus, sapore peramaro, odore ingrate aromatico. Cave ne Fructus Cicutae virosae L. et Sii angustifolii L. admixti sint, qvi forma subglobosa vel ovata et colore subviridi ab iis differunt.

Fructus Tamarindi crudus.

Tamarindi s. Fructus Tamarindorum D. 50.

(*Tamarindi orientalis Pulpa Sv. 45. Fructus Tamarindi indicae N. 54*).

Raa Tamarinder.

Tamarindus indica L.

Tamarindi ex India orientali advecti e fusco nigri, lenti, externo pericarpio fragili orbati, dissepimentis chartaceis, fasciculis vasorum seminibusqve mixti, sapore grate acido et subadstringenti. Placentae Tamarindorum aegyptiorum lentiformes, durae, unum decimetrum et dimidium latae, nigrae, rejiciendae sunt; eaedem rejiciendae sunt, si Aqva, cui Acidum tartaricum admixtum sit, in massam mollem, nigram, peracidam, saepe mucidam emollitae sunt; itemqve rejiciantur Tamarindi ex India occidentali advecti molles, e flavo fusci, saepissime fermentati. Ferrum politum, in massam aqva emollitam per aliqvod tempus demissum, indumento rubro, si fricueris, splendenti ne obducatur.

Fructus Vitis sennatus.

Passulae laxativae D. 50.

Laxer-Korender.

℞. Foliorum Sennae concisorum partes decem;..... 10

immittantur in tantam copiam

Aqvae communis bullientis,

ut post digestionem unius horae et expressionem fortem colationemqve inseqventem

partes qvindecim 15

efficiantur, qvae cum

Sacchari albi partibus triginta 30

ebulliendo in syrupum redigantur et continuo colentur. Cum hoc syrupo adhuc calido commisceantur

Fructus Vitis viniferae apyrenae bene eluti partes triginta,..... 30

Corticis Cinnamomi Cassiae pulverati pars una..... 1

Post refrigerationem in vase clauso loco frigido servetur.

Gallae.

Gallae aleppenses D. 50.

(Gallae turcicae vel aleppenses nigrae Sv. 45. Gallae Qvercus infectoriae N. 54).

Galæbler.

Qvercus infectoria Olivier nonnullaeqve species affines.

Excrescentiae ictu Cynipis Gallae tinctoriae natae, plus minusve globosae, verrucoso-echinatae, ponderosae, durae, plerumqve perforatae, colore e subviridi cinereo, obscuriore vel pallidiore, manducatae adstringentes.

Glandula Lupuli.

Lupulin.

Humulus Lupulus L.

Pulvis aureo-flavus, deinde e luteo fuscus, subresinosus; constat ex glandulis minutis, brevissimis stipitibus instructis, subreniformibus, balsamo citrino repletis, odore peculiari, sapore amaro. Glandulae a strobulis Lupuli recens siccatis cribro setaceo separandae sunt nec ultra annum servandae.

Serventur in lagena diligenter clausa a luce remotae.

Glycerinum.

Glycerin.

Liqvor limpidus, coloris et odoris expers, syrupi consistentia, ad chartam exploratoriam indifferens, ponderis specifici = 1,23, sapore subdulci, in qvalibet copia Aqvae et Spiritus solubilis, in Aethere, Chloroformio, Oleis indissolubilis.

Solutione Oxalatis ammonici vel Sulphidi hydrici ne turbetur, neve cum Acido sulphurico nigrescat, cum Hydrate kalico soluto calefactus ne fuscescat.

Gummi arabicum.

Gummi Mimosae, Gummi Acaciae D. 50.

(*Gummi arabicum Sv. 45. Gummi Acaciarum N. 54*).

Arabisk Gummi.

Acacia Seyal Delile. Acacia Ehrenbergiana, Acacia tortilis Hayne.

Frusta irregularia, plus minusve globosa vel angulata, varia magnitudine, diaphana, coloris expertia vel subflava, multis rimis parvis instructa; fracta in frustula parva, angulata, conchata, splendore vitreo nitentia, saepe iricoloria dissiliunt; odoris et saporis expertia sunt, manducata mucilaginosa

fiunt. Cum Aqva mucilaginem limpidam, qvae Spiritu turbetur, facile praebent.

Gummi-resina Ammoniacum.

Ammoniacum s. Gummi Ammoniacum D. 50.
(Gummi ammoniacum Sv. 45. Gummi-resina Doremae armeniaci N. 54).

Ammoniakgummi.

Dorema Ammoniacum Don.

Grana saepe conglutinata aut massae fuscae immixta, extrinsecus e flavo fusca, fractura conchata, lactea, pingviter nitida, in ramentis tenuibus diaphana, in frigore duriuscula, in calore mollescentia, pisi vel juglandis magnitudinem adaeqvantia, sapore nauseoso et amaro, odore gravi et peculiari; in Aqva trita fluidum lactescens praebent, in Spiritu ex parte solvi possunt.

Ad usum pharmaceuticum Gummi-resina frigori exposita terendo in pulverem redigatur, et qvisqviliae cribro separentur. Servetur pulvis loco frigido et sicco.

Gummi-resina Asa foetida.

Asa foetida D. 50.
(Assa foetida Sv. 45. Gummi-resina Ferulae Asae foetidae N. 54).

Dyvelsdræk.

Scorodosma foetidum Bunge. Narthex Asa foetida Falkoner.

Grana conglutinata aut massae fuscae immixta, extrinsecus e subrubro fusca, fractura leviter conchata, nuper fracta pingviter nitida et lactea, mox purpurascentia, deniqve sordide fuscescentia, in calore mollescentia, in frigore duriuscula, odore alliaceo, sapore ingratissimo. Cum Aqva trita emulsionem canam praebent; in Spiritu ex parte solvi possunt.

Ad usum pharmaceuticum pulverentur et serventur eodem modo, qvo Gummi-resina Ammoniacum.

Gummi-resina Galbanum.

Galbanum D. 50.

(Galbanum Sv. 45. Gummi-resina Galbani officinalis N. 54).

Galbanum.

Ferula erubescens Boissier.

Grana singularia vel conglutinata, colore flavescenti vel e rubro flavo vel e viridi fusco; manducata os urunt et sapore sunt amaro et acri, odore valde balsamico.

Ad usum pharmaceuticum pulverentur et serventur eodem modo, qvo Gummi-resina Ammoniacum.

Gummi-resina Gutta.

Gummi Guttae D. 50.

(Gummi Gutta vel Gambogium Sv. 45. Gummi-resina Hebradendri Cambogioidis N. 54).

Gummigut.

Planta haud satis nota Siamensis.

Frusta cylindrata, solida, facile fragilia, marginibus subpellucida, fractura conchata ceraeqve instar nitentia, colore aurantiaco, trita citrina, madefacta laete flava, odore debilissimo, manducata initio saporis paene expertia, deinde subdulcia et os urentia. In Spiritu et Aethere ex parte solvi possunt, cum Aqva trita emulsionem laete flavam praebent, in Alkaliis causticis et carbonicis dilutis solutionem saturate aurantiacam exhibent, ex qva solutione, Acidis additis, resina citrina praecipitatur. Decoctum aqvosum post refrigerationem, Jodo addito, nullo alio colore qvam fusco inficiatur.

Gummi-resina Myrrha.

Myrrha D. 50.

(Myrrha electa Sv. 45. Gummi-resina Balsamodendri Myrrhae N. 54).

Myrrha.

Balsamodendron Ehrenbergianum Berg.

Frusta irregularia, varia magnitudine, extrinsecus pulvere tecta, superficie iniqva, interdum subrotunda, colore subflavo vel e rubro fusco, fragilia, fractura cerae instar nitentia, et colore ex rubro fusco, pallidiore vel obscuriore tincta, interdum venis pallidis trajecta; odore sunt peculiari et balsamico, sapore amaro. Pro majore parte in Aqva solutionem turbidam, e flavo fuscam praebent, pro minore parte in Spiritu solutionem e rubro flavam, qvae, Acido nitrico addito, colore violaceo inficiatur.

Gummi-resina Olibanum.

Olibanum s. Thus D. 50.

(Sv. 45. Gummi-resina Boswelliae serratae N. 54).

Virak.

Boswelliae adhuc ignota species.

Grana oblonga vel rotunda, lacrimae formam exhibentia, varia magnitudine, extrinsecus pulvere inspersa, colore albido vel e subfusco flavo vel subrubro, facile fragilia, fractura cerea, manducata mollescentia vel diffluentia, sed majus vel minus residuum relinqventia, in ore frigoris sensum excitantia. Calefacta haud prorsus liqvescunt et odorem balsamicum spargunt. In Spiritu maxima ex parte solvi possunt, cum Aqva trita liqvorem lacteum praebent.

Gutta Percha.

Gutta Percha.

Isonandra Gutta Hooker.

Tabulae complanatae, circiter qvattuor millimetra crassae, qvas mercatores venditant.

Hepar sulphuris.

Kali sulphuratum, Kalium sulphuratum D. 50.
(Supersulphuretum kalicum Sv. 45. Persulphuretum kalicum N. 54).

Svovllever.

℞. Sulphuris sublimati partem unam; 1
misceatur
Carbonatis kalici depurati partibus duabus..... 2.

Mixtura in cacabum ferreum tectum immittatur et calore non nimis magno et aeqvabili calefiat, donec massa liqvefacta tranqville fluat, et portiuncula exempta paene limpide solvatur in Aqvae partibus duabus. Tum massa in mortarium ferreum frigidum effusa contundatur, et continuo immittatur in vasa siccata, in qvibus probe obturatis servetur.

Sit colore e flavo fusco, postea subviridi; in Aqvae partibus duabus maxima ex parte solvatur. Solutio, Acido hydrochlorato addito, Gas Sulphidi hydrici evolvens, Sulphur copiose secernat.

Herba Absinthii.

Herba c. summitatibus Absinthii D. 50.
(Absinthii Summitates florentes Sv. 45. Herba florens Artemisiae Absinthii N. 54).

Malurt.

Artemisia Absinthium L.

Herba florens paniculata, inferioribus foliis cano-sericeis, bi-vel tripinnatifidis, laciniis ultimis spathulatis, superioribus indivisis; calathiis subglobosis, nutantibus, receptaculo villoso flosculisqve parvis et subluteis instructis. Sapore est peramaro, odore gravi et aromatico.

Herba Absinthii maritimi.

Strandmalurt.

Artemisia maritima L.

Herba foliis bi-vel tripinnatifidis, laciniis linearibus et albo-tomentosis; odore citreo, sapore amaro-salso.

Herba Aconiti.

(Aconiti Folia Sv. 45. Folia Aconitorum N. 54).

Stormhat.

Aconitum Napellus L.

Folia supra saturate viridia et nitida, infra pallidiora et digitato-palmatisecta; inferiora paene ad basin usqve in qvinqve segmenta, superiora et breviora in tria segmenta fissa sunt; superiora rursus usqve ad mediam partem in duo vel tria segmenta acute dentata, lineari-lanceolata sunt divisa. Flores sunt colore obscure violaceo, galea humili, hemisphaerica, in rostellum brevissimum elongata, interdum tamen rostellum abest. Folia sunt sapore subamaro et acri, fricata odore ingrato.

His mixtae et difficiles ad distingvendum sunt aliae Aconiti species, qvarum flores colore sunt caeruleo, velut Aconitum Stoerkeanum Reichenb., foliis in segmenta latiora fissis, et Aconitum Cammarum Jacq., foliis minus incisis, segmentis paene rhombicis minusqve nitidis.

Herba Conii.

Herba Conii maculati s. Cicutae terrestris D. 50.
(Conii Herba Sv. 45. Folia Conii maculati N. 54).

Skarntyde.

Conium maculatum L.

Herba ubiqve glabra et nitidula, foliis tri-vel qvadripinnatifidis, basi vaginantibus, laciniis ultimis ovalibus, incisis, serratis, mucronulatis; odore peculiari et nauseoso.

Colligatur e plantis sua sponte crescentibus.

Herba Lobeliae.

Herba Lobeliae inflatae D. 50.
(Herba florens Lobeliae inflatae N. 54).

Lobelie.

Lobelia inflata L.

Herba florens, caule infra simplice et hirsuto, supra ramificato et nudo, foliis alternis sessilibus, oblongo-lanceolatis, acutis, serratis, floribus parvis et supra racemosis, calice inflato, corolla caerulea et paene labiata; sapore initio debili, mox acri.

Ex America septentrionali fasces hujus herbae valde compressi et qvadranguli varii ponderis ad nos advehuntur.

Herba Majoranae.

Merian.

Origanum Majorana L.

Herba florens caulibus crassioribus privata, caule pubescente, supra ramificato, foliis oppositis, spathulatis, integerrimis, e cano viridibus vel canis, utraqve superficie breviter et dense villosis, glandulosis. Capitula bracteis qvadriserialibus, imbricatis, rotundatis, cano- et raro-tomentosis instructa sunt. Sapore et odore est peculiari et aromatico.

Herba Malvae.

Folia Malvae D. 50.
(Malvae Folia Sv. 45. Folia Malvarum N. 54).

Katost.

Malva silvestris L. Malva rotundifolia L. Malva vulgaris Fr.

Folia longe-petiolata, subrenata vel rotundo-cordata, utraqve superficie pubescentia, qvinqve — vel septemlobata, lobis

obtusis vel porrectis et serratis; manducata sapore sunt mucilaginoso. Flores sunt calice duplici, exteriore trisepalo et villoso, interiore qvinqvefido; petalae sunt roseae, lineis violaceis instructae, siccatae caeruleae.

Herba Meliloti.

(Meliloti Herba cum Floribus Sv. 45. Herba florens Melilotorum N. 54).

Meloten-Urt.

Melilotus officinalis Willd.

Rami floriferi, foliis ternatis, foliolis obovato-lanceolatis, supra subserratis, corolla papilionacea, parva, lutea; odore peculiari et fragranti.

Herba Millefolii.

Folia et Flores Millefolii D. 50.
(Millefolii Summitates florentes Sv. 45).

Rollike.

Achillea Millefolium L.

Folia ambitu lanceolata, bipinnatifida, petiolis et nervis infra villosis, lobis brevissimis, lanceolatis, acuminatis, echinatis, infra glandulosis, sapore amaro. Inflorescentia est corymbus calathiis ovoideis, periclinium ex bracteis imbricatis et oblongis constat, receptaculum obsitum est sqvamis oblongis, qvindecim vel viginti floribus discalibus hermaphroditis, qvinqve floribus radialibus femineis, lingulis suborbicularibus, obtuse tridentatis, albis vel subrubris ornatis. Sapore sunt amaro et subacri, odore subaromatico.

Herba Origani.

Herba Origani vulgaris D. 50.
(Herba florens Origani vulgaris N. 54).

Vild Merian.

Origanum vulgare L.

Herba florens, caule qvadrato, foliis oppositis, ovatis, pilosis, pellucidis, glanduloso-punctatis, floribus densis et in corymbum terminalem dispositis, bracteis adpressis, qvadrifariam imbricatis, ovatis, apice violaceis, corolla labiata, odore fragranti, sapore subamaro.

Herba Veronicae.

Ærenpris.

Veronica officinalis L.

Herba florens, caule repente, paullatim adscendente, undiqve pubescente, foliis oppositis, breviter petiolatis, ovato-oblongis, serratis, pubescentibus, floribus parvis, rotatis, subcaeruleis, venis rubris instructis; sapore subamaro et subadstringenti.

Herba Violae tricoloris.

Herba Jaceae D. 50.
(Violae tricoloris Herba cum Floribus Sv. 45. Herba florens Violae tricoloris N. 54).

Stedmodersblomst.

Viola tricolor L.

Herba florens, caule angulato et ramificato, foliis sparsis, petiolatis, oblongis, crispis, foliolis lyratis, petiolo longioribus, floribus axillaribus, longe pedunculatis, corolla labiosa, calcarata, bicolori, tricolori vel flavescenti; manducata os leviter urit et sapore est subamaro.

Hirudo.

Sangvisuga D. 50.
(Hirudines Sv 45).

Blodigle.

Sangvisuga medicinalis Savigny et Sangvisuga officinalis Savigny.

Prior species, qvae „cana“ vocatur, tactu granuloso-scabra est, superne olivacea, lineis sex laete ferrugineis, nigro-punctatis, infra e subviridi flava, maculis et marginibus nigris. Altera species, qvae „viridis“ vocatur, tactu levis est, superne subviridis vel e nigro viridis, lineis sex, in longitudinem porrectis, ferrugineis, nigro-punctatis, infra olivacea, immaculata, utrinqve nigra linea laterali praedita.

Hirudines ad sugendum antea adhibitae rejiciendae sunt.

Hydrargyrum.

Hydrargyrum depuratum D. 50.

(Hydrargyrum destillatum Sv. 45. Hydrargyrum N. 54).

Renset Qvægsølv.

℞. Hydrargyri venalis partes viginti qvinqve, ... 25

Acidi nitrici,..... 1

Aqvae destillatae, singulorum partem unam,..... 1

in lagenam firmam immissae inter qvassationem saepius repetitam per tres dies digerantur. Hydrargyrum a liqvore innatanti separetur, deinde Aqva destillata abluatur et in balneo aqvae plane siccetur.

Sit metallum liqvidum, admodum splendidum, mobilissimum, in Acido nitrico plane solvatur. Haec solutio ad siccitatem evaporata, ignita sine residuo avolet.

Hydrargyrum venale.

Mercurius vivus D. 50.

(Hydrargyrus vel Mercurius Sv. 45).

Qvægsølv.

Metallum liqvidum, mobilissimum, splendidum.

Hydras kalicus.

Kali causticum fusum, Lapis causticus D. 50.
(Hydras kalicus Sv. 45. Hydras kalicus fusus N. 54).

Kaustisk Kali, Ætssten.

℞. Solutionis Hydratis kalici recens paratae, ... q. v.
in patinam argenteam immissum igne fortiore evaporetur, donec massa ex rubro candescens tamqvam Oleum tranqville fluat. Deinde modulis ferreis aptis in bacilla formetur; bacilla refrigerata in vas vitreum probe siccatum statim immittantur, in qvo diligenter clauso serventur.

Sint bacilla alba vel ex albo cinerea, sicca, caustica, fractura crystallina; ex aëre humorem attrahant; in Aqvae partibus duabus limpide solvantur. Solutio cum qvadruplici volumine Spiritus alcoholisati mixta sedimentum perparvum praebeat.

Hydratocarbonas ferrosus saccharatus.

Ferrum subcarbonicum saccharatum D. 50.

Kulsurt Jernforilte med Sukker.

℞. Sulphatis ferrosi partes qvattuor;..... 4
solvantur in

Aqvae destillatae bullientis partibus qvindecim..... 15
et infundantur in lagenam satis amplam, qvae contineat

Bicarbonatis natrici partes tres, ... 3
in Aqvae destillatae bullientis partibus qvadraginta ... 40
solutas. Liqvoribus probe commixtis, pars lagenae inanis Aqva destillata bullienti repleatur, deinde lagena obturetur et seponatur. Postqvam partes turbantes subsederunt, liqvor supernatans siphone detrahatur, deinde lagena Aqva destillata bullienti iterum repleatur. Haec operatio tamdiu repetatur, donec Aqva siphone detracta, addita Solutione Chloreti barici, vix turbetur. Tum puls tenuis, qvae in lagena inest, in vas porcellaneum,

Sacchari albi pulverati partes qvattuor 4

continens, immittatur; mixtura hac ratione parata inter perpetuam agitationem in balneo aqvae ad siccitatem evaporetur; residuum siccum, in pulverem contritum, in vase probe obturato servetur.

Sit pulvis e cinereo viridis; in Acido hydrochlorato diluto solvatur, Acidum carbonicum copiose evolvens. Solutio parata, Solutione Chloreti barici addita, vix turbetur.

Hydratocarbonas magnesicus.

Magnesia carbonica s. alba D. 50.

(Sv. 45. Hydrato-Carbonas magnesicus N. 54).

Let kulsur Magnesia.

Massa cohaerens, levissima, nivea, valde friabilis, in Aqva prorsus indissolubilis, in Acido nitrico cum maximo fervore solubilis. Haec solutio cum Solutione Chloreti barici et Nitratis argentici praecipitatum perparvum, cum Solutione Sulphidi hydrici praecipitatum nullum praebeat; Solutione Ammoniaci neutralisata Solutione Oxalatis ammonici vix turbetur.

Hydratocarbonas plumbicus.

Cerussa alba D. 50.

(Sv. 45. Hydrato-Carbonas plumbicus N. 54).

Blyhvidt.

Massa nivea, glebosa vel pulveri similis, digitos inqvinans, in Aqva indissolubilis, sed in Acido acetico cum fervore plane solvatur. Solutio acetica, Solutione Sulphidi hydrici prorsus praecipitata, Solutione Carbonatis natrici ne turbetur.

Hypermanganas kalicus.

Manganoversurt Kali.

Crystalla tenuia, metallice splendentia, atropurpurea vel nigra, odoris expertia, sapore subdulci et adstringenti. In Aqvae partibus sedecim solvantur, Aqvam colore splendido et coccineo tingentia. Serventur in vase bene obturato.

Indigo.

Color indicus D. 50.
(Indigo vel Pigmentum indicum Sv. 45)

Indigo.

Indigoferae variae species.

Frusta irregularia vel qvadrata, colore saturate caeruleo, fragilia, fractura aeqvalia et opaca, ungve fricata colore cuprino vel aureo nitentia, Aqva leviora. In Aqva, Spiritu, Aethere, Oleis solvi non possunt, in Acido sulphurico fumanti colore saturate caeruleo solvuntur; combusta ne nimis cineris relinqvant.

Infusum Digitalis.

Fingerbølleblade-Infus.

℞. Foliorum Digitalis minutim concisorum partem unam; 1

affundatur in vase tecto antea calefacto

Aqvae communis bullientis ..... q. s.

ut post digestionem per qvartam partem horae inter agitationem saepe repetitam, deinde colationem decantationemqve

partes centum 100

efficiantur.

Paretur ex tempore.

Infusum Rhei alkalinum.

Tinctura Rhei aqvosa, Anima Rhei D. 50.
(Infusum Rhei Sv. 45. Infusum Radicis Rheorum natronatum N. 54).

Rhabarber-Draaber.

℞. Radicis Rhei in taleolas tenuissimas concisae et pulvere liberatae partes viginti qvinqve, ... 25
Bicarbonatis natrici partes tres; 3
per duodecim horas cum
Aqvae destillatae partibus ducentis..... 200
macerentur. Liqvor, qvi, expressione levi colatus, erit
partium centum septuaginta, ... 170
ebulliat; tum refrigeratus
Aqvae Cinnamomi spirituosae partibus triginta ... 30
misceatur et in infundibulo tecto filtretur. Loco frigido, potissimum in lagunculis obturatis servetur.

Sit e rubro fuscum et limpidum.

Infusum Sennae compositum.

Aqva laxativa viennensis D. 50.
(Infusum Sennae compositum Sv. 45. Decoctum Foliorum Cassiarum compositum N. 54).

Viener-Laxer-Drik.

℞. Fructus Coriandri contusi partes duas, ... 2
Fructus Vitis viniferae apyrenae partes qvinqve,... 5
Foliorum Sennae concisorum partes decem; 10
affundatur tanta copia Aqvae communis bullientis, ut post digestionem unius horae et expressionem inseqventem
colaturae partes septuaginta duae..... 72
efficiantur. In his solvantur
Mannae partes viginti qvinqve, ... 25
Tartratis kalici partes tres ..... 3.

Solutio colata seponatur, ut partes turbantes subsidant, et decantetur. In vase clauso loco frigido servetur.

Sit limpidum et colore fusco.

Jodetum ferrosum.

Jernforjod.

℞. Ferri pulverati partes tres;..... 3

in cucurbitam vitream immissis affundantur

Aqvae destillatae partibus duodeviginti,..... 18

deinde inter assiduam qvassationem sensim addantur

Jodi partes octo ..... 8.

Ubi omne Jodum solutum erit, et liqvor colorem subviridem induerit, parvo filtro separandus erit, et filtrum parva copia Aqvae abluendum.

Secundum hoc praeceptum Jodetum ferrosum ex tempore paretur. Partes qvaternae (4) Jodi praebent partes qvinas (5) Jodeti ferrosi. Si medicus Solutionem Jodeti ferrosi postulaverit, liqvore, qvem supra commemoravimus, utendum erit; sin autem Jodeto ferroso massa pilularum addenda erit, liqvor paratus, qvi adhibendus est, paullum evaporetur, qvo facto, substantiae ad massam pilularum formandam praescriptae addantur.

Jodetum hydrargyricum rubrum.

Hydrargyrum bijodatum D. 50.

(Jodetum hydrargyricum Sv. 45. Jodetum hydrargyricum rubrum N. 54).

Rødt Qvægsølvtvejod.

℞. Jodeti kalici partes qvinqve,..... 5

solvantur in

Aqvae destillatae partibus viginti; 20

solutioni filtratae addatur inter agitationem solutio filtrata, e

Chloreti hydrargyrici corrosivi partibus qvattuor . . . 4
et Aqvae destillatae partibus septuaginta duabus 72
parata. Sedimentum ortum in filtrum colligatur et Aqva probe elutum loco obscuro caute siccetur. In lagena flava vel nigra probe obturata servetur.

Sit pulvis subtilissimus coccineus, in Aqva paene indissolubilis; in Spiritu plane, sed difficulter solvatur. Ignitus sine residuo avolet.

Jodetum hydrargyrosum flavum.

Hydrargyrum jodatum D. 50.
(Jodetum hydrargyrosum Sv. 45. Jodetum hydrargyrosum flavum N. 54).

Gult Qvægsølvforjod.

℞. Hydrargyri partes octo, ... 8
Jodi partes qvinqve; 5
in mortario conterantur, dum aliqvot guttae Spiritus subinde instillentur, donec omne vestigium Hydrargyri metallici evanuerit, et mixtura colorem e viridi flavum induerit. Pulvis paratus Spiritu abluatur, deinde caute siccetur et in lagena flava vel nigra probe obturata servetur.

Sit pulvis subtilis, e viridi flavus, ponderosus; in Aqva parva ex parte solvatur, in Spiritu ne solvatur, candefactus plane aufugiat. Spiritus cum pulvere conqvassatus et filtratus, Solutione Sulphidi hydrici addita, vix coloretur.

Jodetum kalicum.

Kali hydrojodicum, Kalium jodatum D. 50.
(Jodetum kalicum Sv. 45. N. 54).

Jodkalium.

℞. Ferri in filis seu ramentis partes octo; 8
immittantur in cacabum ferreum, in qvo insint
Aqvae destillatae tepidae partes septuaginta duae; . 72

deinde inter perpetuam agitationem sensim addantur

Jodi partes viginti qvattuor..... 24.

Ubi omne Jodum solutum erit, liqvor fuscus calefiat, donec color evanuerit; deinde filtro separetur a Ferro non soluto, qvod eluatur. Solutio orta in solutionem bullientem, e

Bicarbonatis kalici partibus undeviginti..... 19

et Aqvae destillatae partibus qvinqvaginta septem.... 57

paratam, sensim infundatur; tum per aliqvod tempus coqvatur. Si non omne Ferrum praecipitatum erit, tanta copia Bicarbonatis kalici inter coqvendum addenda erit, ut illud fiat. Tum liqvor filtretur et residuum eluatur; deinde evaporetur et loco tepido in crystalla redigatur, qvae siccata in vase vitreo probe obturato et a luce remoto serventur.

Sint crystalla coloris expertia; in Aqvae partibus tribus qvartis et in Spiritus partibus septem solvantur; solutio sit reactione paullulum alkalina, sed Solutione Hydratis calcici vel Solutione Sulphohydratis ammonici ne turbetur; Acidum tartaricum additum solutionem colore fusco ne tingat. Sedimentum, qvod Solutione Nitratis argentici addita effeceris, cum Solutione Ammoniaci qvassatum liqvorem praebeat, qvi, addita liqvori filtrato Acidi nitrici copia abundanti, turbidus appareat, sed praecipitatum non efficiat.

Jodum.

Jodina D. 50.

(Jodum Sv. 45. N. 54).

Jod.

Tabulae vel sqvamae ponderosae, metallice nitentes, colore plumbeo-nigricanti, cutem tingentes, molles, crystallinae, odore peculiari; solvuntur in Aqva pro minima parte, in Spiritus partibus decem, facile in Aethere, Chloroformio, Sulphido carbonico. Ignitae sine residuo avolent, in tubum vitreum sublimatae crystalla coloris expertia in lateribus tubi ne relinqvant. In vase epistomio vitreo accuratissime clauso loco frigido servetur.

Julapium salinum.

Almindelig Julep.

℞. Solutionis Carbonatis kalici partes qvinqve, ... 5
Aqvae Menthae piperitae partes triginta duas, ... 32
Syrupi Sacchari partes duas; 2

misceantur in lagena firma justae magnitudinis. Deinde inter qvassationem sensim addatur

Acidi citrici in frustulis pars una..... 1.

Mixtura peracta, lagena continuo obturetur.

Sit limpidum et magnam copiam Acidi carbonici liberi contineat.

Paretur ex tempore.

Kermes mineralis.

Sulphur stibiatum rubrum D. 50.
(Hydrosulphuretum stibiosum Sv. 45. Pulvis Sulphureti stibici cum Oxydo stibico N. 54).

Kermes.

℞. Aqvae communis partes ducentas qvinqvaginta;... 250

in lebete ferreo calefiant, donec bulliant, deinde addantur

Carbonatis natrici venalis partes viginti qvinqve, .. 25
Sulphureti stibici laevigati pars una..... 1.

Mixtura inter agitationem saepius repetitam per duas horas continenter coqvatur, sed providendum est, ut Aqva evaporatione consumpta semper restituatur; deinde liqvor qvam calidissimus in vas lapideum aptum antea calefactum celerrime filtretur. Liqvore prorsus refrigerato, lixivia innatans defundatur, sed sedimentum in filtrum colligatur et Aqva destillata sensim affusa eluatur, donec liqvor defluens colore tingi coeperit nec amplius reactione alkalina sit. Sedimentum, inter plagulas chartae bibulae pressum, loco obscuro tepidoqve, calore

25° vel 30° non excedente, siccetur, deinde in pulverem subtilem redactum in vase probe clauso loco obscuro servetur.

Sit pulvis subtilissimus et colore e fusco rubro; in Acido hydrochlorato facile et plane solvatur. Ubi unum gramma pulveris cum qvattuor grammatibus Nitratis natrici commixtum in crucibulo porcellaneo detonuit, liqvor, elixiviatione residui albi relicti paratus, postqvam filtratus est et Acido nitrico accurate neutralisatus, Solutione Nitratis argentici addita, praecipitatum e rubro fuscum ne praebeat.

Kreosotum.

(Creosotum Sv 45. N. 54).

Kreosot.

Liqvor limpidus, coloris expers, tempore progrediente flavescens vel rubescens, paullo gravior qvam Aqva, odore penetranti; in Aqvae partibus octoginta solubilis, in omni proportione Spiritus, Aetheris, Petrolei, Sulphidi carbonici solubilis; in Solutione Hydratis kalici prorsus solvatur, qvae solutio, majore copia Aqvae addita, ne turbetur. Ad chartam exploratoriam indifferens sit. In vase, epistomio vitreo clauso, a luce remoto servetur.

Lactas ferrosus.

(Sv. 45. Lactas ferrosus crystallisatus N. 54).

Melkesurt Jernforilte.

℞. Sacchari lactis pulverati partes duodecim; 12

solvantur in

Seri lactis sponte acidi et turbidi partibus ducentis qvadraginta..... 240

et seponantur in loco, cujus temperatura sit 25° vel 30°, qvo facto, mixtura fermentari incipiet. Acidum tum qvotidie saturetur tanta copia

Bicarbonatis natrici,

qvanta sufficiat, donec partes tredecim vel qvattuordecim Bicarbonatis natrici adhibitae sint. Liqvori ad ebullitionem calefacto tanta copia Acidi sulphurici diluti addatur, ut reactio acida debilis efficiatur; deinde liqvor filtretur et in balneo aqvae evaporetur, donec sexta pars relicta sit. Tum liqvori calido addantur

Sulphatis ferrosi partes novem, ... 9

antea in

Aqvae destillatae fervidae partibus duodeviginti 18

solutae. Mixtura colata per duos dies seponatur. Crystalla orta a lixivia separentur, qvo facto, primum parva copia Aqvae destillatae, deinde Spiritu abluantur, tum inter plagulas chartae bibulae pressa, leni calore adhibito, siccentur et in pulverem trita in vase probe clauso serventur.

Sit pulvis crystallinus et albidus; in Aqvae partibus duodeqvinqvaginta, in Spiritu parva ex parte solvatur; Solutio aqvosa Solutione Acetatis plumbici addita vix turbetur. Postqvam Oxydum ferrosum, addita Solutione Hydratis natrici abundanti, secretum est, liqvor limpide filtratus parvam copiam Sulphatis cuprici additi inter bulliendum ne reducat.

Lactucarium.

Lactucarium anglicum D. 50.

(Sv. 45).

Lactucarium.

Lactuca virosa L.

Frusta irregularia, angulata, opaca, fragilia, e flavo fusca vel e flavo grisea, sapore amaro et subadstringenti, odore narcotico; cum Aqva bullienti trita liqvorem turbidum, massam tenacem relinqventem, praebent; in Aqva, Spiritu, Aethere ex parte solubilia sunt.

Lapides Cancri.

Lapides Cancrorum D. 50.
(Lapilli Cancrorum Sv. 45).

Krebseoine.

Astacus fluviatilis Fabr.

Sunt orbiculati, plano- vel concavo-convexi, pisi magnitudinem adaeqvantes vel paullo superantes, albidi, e lamellis, qvae per strata se excipiant, compositi, in Aqva indissolubiles, in Acido hydrochlorato cum fervore dissolubiles, lamellas in similitudinem lapidum formatas, pellucidas, gelatinosas relinqventes.

Lapis divinus.

Cuprum aluminatum D. 50.
(Lapis divinus Sv. 45. N. 54).

Alunholdig Kobbervitriol.

℞. Sulphatis cuprici,..... 16
Nitratis kalici, ... 16
Sulphatis aluminico-kalici, singulorum partes sedecim 16.

Pulveratae misceantur et, leni calore adhibito, in patina porcellanea liqvefiant; tum ab igne removeantur et celeriter admisceatur

Camphorae pulveratae pars una,..... 1

antea cum

Sulphatis aluminico-kalici parte una..... 1

probe trita. Mixtura in lancem porcellaneam effundatur et refrigerata diffringatur; deinde in vase probe obturato servetur.

Sit massa ex albo caerulea, Camphoram redoleat, in Aqva, residuo perparvo relicto, solvatur.

Lapis Haematites.

Lapis haematitis crystallisatus nativus D. 50.
(Haematites Sv. 45).

Blodsten.

Massae globosae, reniformes, gibbosae, racemosae, stalactideae, amorphae, colore e fusco rubro, structura fibrosa et radiata; sunt modice durae, sed in pulverem e fusco rubrum facile redigi possunt.

Lichen islandicus.

(Lichen vel Muscus islandicus Sv. 45. Cetraria islandica N. 54).

Islandsk Mos.

Cetraria islandica Acharius.

Thallus erectus, foliaceus, varie laciniatus, margine fimbriatus, canaliculatus, altera superficie fuscus, altera pallidior, basi sangvineus, siccatus rigidus et fragilis, humectatus mollis, cartilagineo-subcoriaceus, sapore amaro, cum Aqva coctus refrigeratione gelatinam praebens.

Lignum Guajaci.

Lignum sanctum D. 50.
(Lignum sanctum, Guajaci Lignum Sv. 45. Lignum Guajaci officinalis N. 54).

Guajak-Ved, Pokkenholt.

Guajacum officinale L.

Lignum ponderosum, compactum, durum, duramine resinoso et e subviridi flavo, alburno leviore et pallide flavo; calefactum odorem benzoinum spargit. Rasura venalis frustis albidis, ex alburno vel e lignis alienis ortis, ne nimis mixta sit.

Lignum Qvassiae.

(Qvassiae Lignum Sv. 45. Lignum Qvassiae amarae N. 54).

Qvassia-Ved.

Qvassia amara L.

Lignum albidum, leve, in segmento transverso stratis concentricis et clarioribus et obscurioribus inter radios medullares angustos instructum, in frustis cylindricis, qvattuor vel octo centimetra crassis, cortice tenui et facile separabili tectis vel decorticatis, sapore peramaro. Rasura venalis ne adhibeatur, neve lignum Picrasmae excelsae Planchon, qvod Jamaicense vocatur, qvodqve prostat in frustis, tria fere decimetra crassis, in segmento transverso radiis medullaribus latioribus instructis, cortice cano et lignoso tectis.

Lignum Santali rubrum.

(Santali rubri Lignum Sv. 45).

Rødt Sandel-Ved.

Pterocarpus santalinus L. fil.

Caudices duri, ponderosi, extrinsecus e fusco nigri vel e fusco rubri, intus sangvinei, in Aqva sidentes, structura tenuiter fibrosa, fibris obliqve et diverse contextis, in segmento sericeo-nitentes, inter fibras canales latiores, per longitudinem in qvadrata divisos, resina e rubro fusca repletos continentes. Lignum in mercatura molitum occurrens pulverem levem, subtilem, rubrum exhibet, ex qvo Aqva nihil admodum extrahit, Spiritus pigmentum rubrum et resinaceum facile extrahit.

Linimentum ammoniacatum.

Linimentum ammoniatum s. L. volatile D. 50.

(Linimentum ammonicum Sv. 45. Linimentum Ammoniaci N. 54).

Flygtig Liniment.

℞. Olei Olivarum partes tres;..... 3

in lagena cum

Solutionis Ammoniaci parte una 1

ad massam homogeneam et spissiusculam conqvassentur. In lagena probe clausa servetur.

Sit colore albo vel e flavo albo.

Linimentum ammoniacatum camphoratum.

Linimentum ammoniatum camphoratum, L. volatile camphoratum D. 50.

(Linimentum Ammoniaci camphoratum N. 54).

Tyk Kampher-Olie.

℞. Olei camphorati partem unam, ... 1

Olei Olivarum partes duas..... 2.

Misceantur in lagena et cum

Solutionis Ammoniaci parte una 1

ad massam homogeneam et spissiusculam conqvassentur. In lagena probe clausa servetur.

Sit colore albo vel e flavo albo.

Linimentum Opodeldoc.

Balsamum Opodeldoc D. 50.

(Opodeldoc Sv. 45. Linimentum saponatum N. 54).

Opodeldok.

℞. Saponis butyracei siccati et rasi partes viginti qvattuor;..... 24

in cucurbitam vitream amplam et vesica perforata clausam immissae inter qvassationem saepe repetitam cum

Spiritus concentrati, temperatione aëris majore, partibus centum nonaginta duabus..... 192

temperatione aëris minore,

partibus ducentis sedecim..... 216

digerantur, donec solutae sint, deinde in balneo aqvae leviter ebulliant. In liqvore colato, adhuc fluenti solvantur

Camphorae contusae partes qvattuor,..... 4

et haec Solutio cum

Solutionis Ammoniaci partibus duodecim,..... 12

Aetherolei Rosmarini partibus duabus,..... 2

Aetherolei Thymi partibus tribus 3

conqvassata in cucurbita, ut supra docuimus, vesica clausa, leni calore adhibito, seponatur et in vasa minora statim claudenda et in balneo aqvae frigido refrigeranda limpide decantetur. Residuum turbidum per Gossypium, parva copia Spiritus concentrati humectatum et in infundibulo calefacto collocatum, filtretur; deinde filtratum illa ratione, qvae supra exposita est, tractetur. Servetur loco frigido.

Sit album, subpellucidum, opalescens; calore manus in liqvorem limpidum liqvescat.

Linteum carptum anglicum.

Engelsk Charpi.

Liqvor acidus Halleri.

Elixir acidum (Halleri) D. 50.
(Liqvor acidus Halleri Sv. 45).

Hallers sure Draaber.

℞. Acidi sulphurici partem unam;..... 1

in Spiritus concentrati partem unam..... 1

ita inter qvassationem instilletur, ut mixtura non nimis calida fiat; tum liqvor in lagena epistomio vitreo clausa loco frigido servetur.

Sit limpidus, coloris expers vel subflavidus; per aliqvod tempus sepositus odorem Aetheri similem spargit.

Liqvor Arseniitis kalici.

Liqvor arsenicalis, Solutio Fowleri D. 50.
(Solutio Arseniitis kalici N. 54).

Fowlers Arsenik-Draaber.

℞. Acidi arsenicosi pulverati partem unam;..... 1
immittatur in cucurbitam vitream, in qva insint
Carbonatis kalici pars una, ... 1
Aqvae destillatae partes qvinqve..... 5.
Mixtura calefiat, donec omnia soluta sint, deinde admisceantur
Spiritus Lavandulae simplicis partes qvinqve 5
et Aqvae destillatae qvantum reqviritur, ut pondus liqvoris sit
partium centum; 100
tum liqvor filtretur. In lagena probe obturata servetur.

Nota. Partes qvinqve hujus Liqvoris tantam copiam Acidi arsenicosi continent, qvantam partes sex liqvoris in Pharmacopoea Danica 1850 praescripti.

Liqvor Clauderi.

Elixir aperitivum Clauderi D. 50.
(Elixir aperitivum N. 54).

Clauders Draaber.

℞. Stigmatum Croci nuper siccatorum partem unam,.. 1
Aloes grosse pulveratae,..... 2
Gummi-resinae Myrrhae grosse pulveratae, singulorum partes duas,..... 2
Carbonatis kalici depurati partes qvattuor;..... 4
per tres dies inter agitationem saepe repetitam cum
Aqvae Sambuci partibus triginta..... 30
digerantur.

Liqvor refrigeratus exprimatur et per aliqvot horas sepositus, ut turbantes partes subsidant, filtretur. Eodem modo servetur, qvo Tincturae.

Sit obscure fuscus, non pellucidus, sed limpidus.

Liqvor Menyanthis acidus.

Elixir antarthriticum D. 50.

(N. 54).

Sure Bukkeblade-Draaber.

℞. Extracti Menyanthis partes qvinqve; 5

misceantur

Tincturae Menyanthis partibus triginta tribus, ... 33

qvo facto, affundantur

Liqvoris acidi Halleri partes duae, ... 2

dum vas saepius conqvassatur. In vase vitreo epistomio vitreo clauso servetur.

Ante dispensationem diligenter conqvassetur.

Sit spissiusculus et colore obscure viridi.

Liqvor pectoralis.

Elixir pectorale D. 50.

Bryst-Draaber.

℞. Extracti Glycyrrhizae partem unam; 1

solvatur in

Aqvae Foeniculi partibus tribus; 3

solutio seponatur, ut turbantes partes subsidant, deinde coletur et probe conqvassetur cum

Spiritus ammoniacati anisati parte una ..... 1.

In lagena probe clausa servetur.

Sit e nigro fuscus; limpidus dispensetur.

Liqvor Succinatis ammonici pyroleosi.

Liqvor Ammonii succinici, Liqvor Cornus Cervi succinatus D. 50.
(Sv. 45. Solutio Succinatis ammonici pyro-oleosi N. 54).

Ravsyret Ammoniak-Draaber.

℞. Acidi succinici partem unam; 1

teratur cum

Aqvae destillatae partibus octo, ... 8

deinde inter agitationem sensim addatur

Supercarbonatis ammonici pyroleosi

tanta copia, ut Acidum plane neutralisetur. Solutio parata per aliqvot dies seponatur, deinde filtrata in lagena probe clausa a luce remota servetur.

Sit limpidus, recens paratus colore flavo, postea colore paullo obscuriore, odore empyreumatico; calefactus prorsus aufugiat; ad chartam exploratoriam sit indifferens; pondus specificum sit = 1,050—1,054.

Liqvor Supercarbonatis ammonici pyroleosi.

Liqvor Ammonii carbonici pyro-oleosus, Liqvor Cornus Cervi D. 50.
(Solutio Sesqvicarbonatis ammonici pyro-oleosi N. 54).

Hjortetaksalt-Draaber.

℞. Supercarbonatis ammonici pyroleosi partem unam; .. 1

conqvassatione solvatur in

Aqvae destillatae partibus sex; 6

solutio per unum vel duos dies seponatur saepiusqve agitetur, deinde filtretur et in lagena probe clausa loco frigido et umbroso servetur.

Sit primo limpidus colorisqve expers vel subflavus, postea subfuscus et subturbidus. Calore adhibito omnino avolet. Pondus specificum sit 1,060—1,065.

Lycopodium.

Semina Lycopodii D. 50.

(Lycopodii Semina vel Farina Sv. 45. Semina Lycopodiorum N. 54).

Hexemel.

Lycopodium clavatum L.

Pulvis subtilissimus, mobilissimus, pallide flavus, digitis adhaerescens, Aqvae, qva difficulter miscetur, innatans, prunis injectus cum strepitu cclerrime deflagrans. Sit prorsus siccus, non adulteratus qvisqviliis vel polline saturate flavo Pinorum aliarumqve plantarum, qvi pulvis facilius conglomeratur; cum Aqva coctus, Solutione Jodi spirituosa addita, colorem caeruleum ne efficiat.

Manna.

Manna calabrina D. 50.

(Manna electa v. calabrina optima Sv. 45. Manna Orni Europaeae N. 54).

Manna.

Fraxinus Ornus L.

Frusta plana vel canaliculata, siccata levia, fragilia, subviscida, fracta strata concentrica exhibentia, colore albido vel subflavo, sapore dulci, non acri. Dispensetur, si medicus Mannam canellatam vel electam poposcerit.

Massae irregulares, albidae vel subflavae, glebulis subfuscis et subviscidis mixtae, varia magnitudine, sapore subdulci cum qvadam acrimonia, nauseoso, vocantur Manna vulgaris vel „Gerace".

Utraqve in Aqva et Spiritu bullienti, nullo fere residuo relicto, solvi potest.

Massa Pilularum de Cynoglosso.

(Massa Pilularum sedantium cum Cynoglosso N. 54).

Hundetunge-Pillemasse.

℞. Opii pulverati, ... 4

Radicis Cynoglossae pulveratae, ... 4
Seminis Hyoscyami pulverati, singulorum partes qvattuor, ... 4
Gummi-Resinae Myrrhae pulveratae partes sex,..... 6
Gummi-Resinae Olibani pulveratae partes qvinqve, .. 5
Florum Caryophylli pulveratorum, ... 2
Corticis Cinnamomi Cassiae pulverati, ... 2
Radicis Althaeae pulveratae, singulorum partes duas; 2

misceantur et in vase clauso serventur. Haec mixtura, si Pilulae ex ea paratae postulatae sunt, Syrupo Sacchari addito, in massam redigatur, et, nisi magnitudo Pilularum praescripta est, viginti qvinqve Pilulae e tribus grammatibus massae formentur.

Massa Pilularum Resinae Jalapae.

Sapo jalapinus D. 50.

(Massa Pilularum Resinae Ipomaeorum N. 54).

Jalape-Sæbe-Pillemasse.

℞. Resinae Jalapae contusae, ... 4
Saponis medicati rasi, singulorum partes qvattuor, .. 4

leni calore adhibito solvantur in

Spiritus concentrati partibus octo ..... 8.

Solutio, eodem calore adhibito, inter perpetuam agitationem ad

partes novem 9

evaporetur. In vase probe clauso servetur.

Sit e fusco cana. In Spiritu solvi potest.

Mel album.

Mel D. 50.

(Sv. 45. Mel album N. 54).

Honning.

Apis mellifica L.

Qvum recens syrupi spissi et diaphani consistentia sit, tempore progrediente in massam granulosam et opacam mutatur, colore albido-flavo vel flavo, sapore dulcissimo, odore peculiari et aromatico. Sit reactione subacida, cum Aqva et Spiritu solutionem mediocriter turbidam praebeat.

Mel depuratum.

Mel despumatum D. 50.

(Mel depuratum Sv. 45. Mel despumatum N. 54).

Renset Honning.

℞. Mellis albi partes centum qvinqvaginta; 150

terantur in

Aqvae communis partibus centum..... 100

et misceantur

Albuminis Ovi partibus qvattuor..... 4

in Aqvae communis partibus viginti qvinqve 25

solutis,

Cretae albae pulveratae partibus duabus ..... 2.

Mixtura inter agitationem ebulliat, ut Albumen Ovi coaguletur, deinde per pannum laneum coletur, tum, calore 90° non excedente adhibito, ad syrupi consistentiam evaporetur atqve iterum coletur; post refrigerationem in vase clauso loco frigido servetur.

Sit e flavo fuscum et limpidum; cum Aqva solutionem limpidam praebeat; ne sit odore vel sapore empyreumatico neve acido.

Mel Rosae.

Mel rosatum D. 50.

(Mel Rosae Sv. 45. Mel rosaceum N. 54).

Rosen-Honning.

℞. Florum Rosae gallicae concisorum partem unam; .. 1

immittatur in

Aqvae communis bullientis partes sex,..... 6

tum, digestione per octo vel duodecim horas facta, exprimantur. Liqvor seponatur, ut turbantes partes subsidant, deinde filtratus misceatur

Mellis depurati partibus decem, ... 10

tum, calore 90° non excedente adhibito, ad consistentiam syrupi evaporetur atqve coletur; post refrigerationem in vase clauso loco frigido servetur.

Sit paene limpidum, colore e subrubro fusco, sapore subadstringenti; ne sit odore vel sapore empyreumatico nec acido.

Minium.

(Sv. 45. N. 54).

Mønnie.

Pulvis ponderosus et laete ruber; in Acido nitrico ex parte solvatur, superoxydum fuscum relinqvens, Acido oxalico addito, paene sine residuo solvatur.

Mixtura acida sulphurica.

Mixtura acida mineralis D. 50.

(Mixtura acida N. 54).

Sur Mixtur.

℞. Acidi sulphurici diluti partes tres, ... 3

Aqvae destillatae partes centum,..... 100

Syrupi Rubi idaei partes viginti duas ..... 22.

Misceantur.

Sit limpida et colore pulchre rubro.

Mixtura alba.

Loco Decocti albi D. 50.

(Mixtura alba N. 54).

Hvid Stoppe-Mixtur.

℞. Testarum Ostrearum praeparatarum, ... 3

Gummi arabici pulverati, singulorum partes tres ... 3.

Conterantur cum

Aqvae filtratae partibus octoginta octo ..... 88.

Deinde admisceantur

Syrupi Sacchari, ... 3

Aqvae Cinnamomi spirituosae, singulorum partes tres 3.

Paretur ex tempore.

Sit turbida et colore albo.

Mixtura camphorata.

(N. 54).

Kampher-Mixtur.

℞. Camphorae partem unam; 1

conteratur cum aliqvot guttis Spiritus concentrati, deinde cum

Mucilaginis Gummi arabici partibus qvattuor ..... 4.

Admisceantur

Syrupi Rhoeados partes qvindecim 15

et Aqvae Sambuci partes centum qvinqve ..... 105.

Paretur ex tempore.

Mixtura Ferri composita.

Mixtura Griffithiana D. 50.

(Emulsio Myrrhae ferrata Sv. 45. Mixtura Balsamodendri ferrata N. 54).

Griffiths Mixtur.

℞. Carbonatis kalici partem unam, ... 1

Gummi-resinae Myrrhae pulveratae partes duas... 2.
Conterantur cum
Aqvae Rosae partibus centum, ... 100
et in lagena misceantur cum
Sulphatis ferrosi parte una, ... 1
Sacchari albi partibus sex 6
in Aqvae Rosae partibus qvadraginta 40
solutis. Lagena statim summa diligentia obturanda est.
Paretur ex tempore.
Initio sit colore e subviridi albo, postea colore rubiginoso.

Mixtura Saleb.

Infusum Saleb D. 50.
(Mucilago Radicis Orchidum N. 54).

Saleb-Mixtur.

℞. Tuberis Saleb pulverati partem unam; 1
conqvassetur cum tanta copia
Aqvae communis,
ut, liqvore inter assiduam agitationem cocto,
partes nonaginta duae 92
parentur, qvibus affundantur
Syrupi Fructus Papaveris partes octo ..... 8.
Paretur ex tempore.
Sit e subflavo alba et mucilaginosa.

Morphina.

Morphium D. 50.
(Morphina Sv. 45. Morphinum crystallisatum N. 54).

Morphin.

Crystalla alba, nitentia, non fatiscentia, sapore amaro, in Aqva, Aethere, Chloroformio vix solvantur, in Spiritu facilius

solvantur, in Acidis et Solutione Hydratis natrici facillime solvantur. Ignita sine residuo deflagrent. Serventur in vase vitreo probe clauso.

Morsuli purgantes rosati.

Morsuli Rosarum purgantes D. 50.

Rosen-Laxersukker.

℞. Sacchari albi contusi partes centum sexaginta sex,. 166

calore adhibito, in

Aqvae Rosae partibus qvinqvaginta sex..... 56

solvantur et coqvendo in justam consistentiam redigantur, qvo facto, mixtura ex

Tuberis Jalapae pulverati partibus viginti qvinqve, 25

Scammonii pulverati partibus tribus, ... 3

Ligni Santali rubri pulverati partibus sex..... 6

parata, celeriter admisceatur. Massa in modulum morsulorum, antea Aqva leviter humectatum, continuo effundatur et refrigerata in frusta ponderis grammatum qvaternorum dissecetur. Frusta loco sicco serventur.

Sint morsuli sicci non adhaerescentes.

Nota. Singula frusta, qvorum pondus est grammatum qvaternorum, sena fere centigrammata Scammonii et qvinqvagena centigrammata Tuberis Jalapae contineant.

Moschus.

Moschus orientalis s. tunqvinensis D. 50.

(Moschus tunqvinensis vel chinensis Sv. 45. Moschus N. 54).

Moskus.

Moschus moschiferus L.

Massa primo ungvinosa, mox grumosa, ex granis variae magnitudinis constans, pingviter nitens, colore obscure fusco; trita in stratum tenue extenuari potest; sapore est subamaro.

odore peculiari, diu permanenti, penetrantissimo. Invenitur secreta et inclusa in folliculo proprio, intus membrana tenui et fusca vestito, e qvo exempta ante usum membranis et pilis purgetur. Folliculus ipse est paene hemisphaericus, tria vel qvattuor centimetra latus, hinc planiusculus et glaber, illinc convexus pilisqve obsitus e flavo subfuscis, apice obscurioribus, rigidis, in ambitu adpressis, circum duo foramina subcentralia in verticem erectis. In vase probe clauso servetur.

Cave a folliculis adulteratis, qvi, parte Moschi exempta, alia massa repleti sunt. Moschus venalis e folliculo exemptus, Moschus ex vesicis qvi vocatur, ne adhibeatur, neve Moschus russicus vel kabardinicus, in folliculo massam clariorem continens, cujus odor sit multo debilior et urinae similis.

Mucilago Cydoniae.

Mucilago Seminum Cydoniorum D. 50.

(Mucilago Cydoniorum Sv. 45. Mucilago Seminum Cydoniae N. 54).

Qvæde-Slim.

℞. Seminis Cydoniae partem unam;..... 1

per qvintam vel qvartam partem horae cum

Aqvae Rosae partibus qvinqvaginta 50

continenter conqvassetur, tum coletur.

Paretur ex tempore.

Sit limpida et permucilaginosa.

Mucilago Gummi arabici.

(Sv. 45. Mucilago Gummi Acaciarum N. 54).

Gummi-Slim.

℞. Gummi arabici partem unam;..... 1

solvatur inter agitationem saepius repetitam in

Aqvae destillatae partibus duabus..... 2.

Solutio coletur et loco frigido servetur.

Sit limpida colorisqve paene expers.

Nitras amido-hydrargyrosus.

Hydrargyrum oxydulatum nigrum, Mercurius solubilis Hahnemanni D. 50.
(Nitras hydrargyroso-ammoniacus N. 54).

Basisk salpetersurt Qvægsølvforilte-Ammoniak.

℞. Solutionis Ammoniaci partem unam; 1
commisceatur cum

Spiritus concentrati partibus duodecim, ... 12
et inter perpetuam agitationem admisceantur

Solutionis Nitratis hydrargyrosi partes duodeviginti 18
vel tanta copia, ut reactio acida debilis efficiatur. Sedimentum ortum in filtrum colligatur, deinde parva copia Spiritus abluatur et loco obscuro inter plagulas chartae bibulae, nullo calore adhibito, siccetur. In vase probe clauso a luce remoto servetur.

Sit pulvis ponderosus, subtilissimus, haud splendidus, niger; in Aqva et Spiritu ne solvatur; candefactus prorsus aufugiat, vapores rubros exhalans; cum Solutione Hydratis natrici candefactus odorem ammoniacalem spargat.

Nitras argenticus.

Argentum nitricum fusum, Lapis infernalis D. 50.
(Nitras argenticus in bacillis Sv. 45. Nitras argenticus fusus N. 54).

Salpetersurt Sølvilte, Helvedsten.

℞. Argenti purioris granulati partes tres; 3
solvantur in

Acidi nitrici partibus octo ..... 8.
Solutio parata inter perpetuam agitationem in patina porcellanea evaporetur, donec sicca sit. Massa sicca caute calefiat, donec liqvefiat, et liqvefacta maneat, donec sine fervore tranqville fluat, et pars exempta, in Aqva soluta et filtrata, Solutione Ammoniaci abundanti admixta, colorem caeruleum non

induat. Jam massa liqvida in laminam metallicam effundatur; tum refrigerata in Aqva solvatur, deinde filtretur. Filtratum evaporetur, donec siccum sit, deinde in patina porcellanea liqvefiat et in modulos aptos effusum formetur in bacilla tenuia, qvae in vase vitreo a luce remoto serventur.

Sint bacilla alba vel subcinerea, fracta radios e centro egredientes exhibeant; in aeqvo pondere Aqvae solvantur. Solutio, addita Solutione Ammoniaci abundanti, colore caeruleo ne tingatur. Postqvam Argentum, Acido hydrochlorato addito, plane secretum est, liqvor filtro separatus, si evaporaveris, nullum residuum relinqvat.

Nitras argenticus bis mitigatus.

Svag Helvedsten.

℞. Nitratis argentici partem unam, ... 1

Nitratis kalici partes duas; 2

conterantur et in patina porcellanea liqvefactae in bacilla tenuia formentur. Serventur in vase vitreo a luce remoto.

Sint bacilla alba vel subcinerea, fractura vix crystallina. Ubi centum partes in Aqva solutae sunt, et Chloreti ammonici partes 10,4 additae sunt, liqvor filtro separatus, addita Solutione Nitratis argentici, sedimentum ne praebeat.

Nitras kalicus.

Kali nitricum depuratum, Nitrum depuratum D. 50.
(Nitras kalicus depuratus Sv. 45. Nitras kalicus N. 54).

Salpeter.

Nitras kalicus venalis in aeqvo pondere Aqvae destillatae bullientis solvatur; deinde solutio filtretur et inter agitationem assidue repetitam refrigeretur. Solutione per duodecim horas seposita, pulvis crystallinus secretus separetur, deinde Aqva destillata eluatur, donec liqvor defluens, Solutione Nitratis

argentici addita, non amplius reactionem manifestam Chlori praebeat; tum leni calore siccetur.

Sit pulvis albus, siccus, crystallinus; in Aqvae frigidae partibus tribus, bullientis parte dimidia solvatur; solutio ad chartam exploratoriam sit indifferens, Solutione Sulphidi hydrici aut Solutione Sulphohydratis ammonici aut Solutione Carbonatis natrici aut Solutione Chloreti barici addita ne turbetur, Solutione Nitratis argentici addita vix turbetur.

Nitras kalicus venalis.

Kali nitricum seu Nitrum crudum D. 50.

Almindeligt Salpeter.

Crystalla diaphana in Aqvae partibus tribus solubilia.

Nitras strychnicus.

Strychninum nitricum D. 50.

Salpetersurt Strychnin.

Crystalla tenuia, flexibilia, coloris expertia, sericeo-nitentia, sapore peramaro. Solvantur in Aqvae frigidae partibus sexaginta, bullientis partibus tribus, in Alcohole difficulter solvantur, facilius in Spiritu, in Aethere ne solvantur. Acidum nitricum crystallis superinfusum colore rubro ne tingatur. Solutio aqvosa ad chartam exploratoriam indifferens sit et, addita Solutione Hydratis kalici, praebeat sedimentum album, qvod in liqvore praecipitanti abunde addito solvi non possit. Ignita detonent, parvam copiam carbonum, qvi igne prorsus consumi possint, relinqventia. Servetur in vase vitreo probe clauso.

Oleum Amygdalarum.

(Sv. 45. Pingvoleum Amygdalarum dulcium N. 54).

Mandelolie.

℞. Amygdalarum siccatarum, qvisqviliis et pulvere adhaerenti cribrando liberatarum et grosse pulveratarum q. v. in sacculum cannabinum vel in chartam bibulam idoneam inclusum inter laminas preli ferrei, in Aqva fervida calefactas, pressu sensim crescente, exprimatur. Oleum expressum per aliqvot dies in lagena probe claudenda seponatur, ubi temperatura media sit; tum a sedimento decantetur et, filtratione facta, in vasis probe siccatis, non permagnis, clausis loco frigido servetur.

Sit limpidum, colore pallide flavo, odoris expers, sapore miti, non rancido. In temperatura ÷ 20° demum obrigescat.

Oleum Cacao.

Butyrum Cacao D. 50.

(Oleum Cacao Sv. 45. Pingvoleum Seminum Theobromae N. 54).

Kakao-Smør.

℞. Seminis Cacao leniter tosti et testis liberati ..... q. v. in cacabum leniter calefactum immittatur et teratur, donec in massam homogeneam, tenuem, subfluidam redactum sit.

Partes sex 6

hujus massae cum

Aqvae communis calidae parte una 1

commisceantur, qvae mixtura, adhuc calida in sacculum cannabinum inclusa, inter laminas preli ferrei, Aqva communi fervida calefactas, pressu sensim crescente, statim exprimatur. Oleum expressum per aliqvod tempus in balneo aqvae liqvefiat, deinde a sedimento defusum in infundibulo calefacto loco calido filtretur et in capsulas ferreas stanno obductas et planas effundatur. Refrigeratum in vase clauso loco frigido servetur.

Recens sit e subflavo album, postea albidum. In temperatura consueta sit consistentia sebacea, in temperatura 29°—30° liqvescat, in temperatura circiter 20° rursus obrigescat. Oleum liqvefactum sedimentum ne praebeat. Semen Cacao redoleat; sit sapore miti. In Aethere facile solvatur.

Oleum camphoratum.

(Solutio Camphorae oleosa Sv. 45. Oleum camphoratum N. 54).

Kampher-Olie.

℞. Camphorae contusae partem unam; 1

solve terendo in

Olei Olivarum partibus qvattuor; 4

solutio filtrata in vase probe clauso loco temperato servetur.

Sit limpidum.

Oleum Crotonis.

(Sv. 45. Pingvoleum Seminum Crotonum N. 54).

Krotonolie.

Tiglium officinale Kotzsch.

E Semine.

Oleum spissiusculum, luteum vel e fusco flavum, primo sapore miti, mox lingvam urens et pustulas excitans, odore ingrato. In qvadraginta partibus Spiritus solvitur.

Oleum Hyoscyami infusum.

Oleum Hyoscyami coctum D. 50.

(Oleum Hyoscyami infusum Sv. 45. Oleum Foliorum Hyoscyami infusum N. 54).

Bulmeblade-Olie.

℞. Foliorum Hyoscyami minutim concisorum partem unam; 1

per duodecim horas digeratur cum

Spiritus concentrati partibus duabus, ... 2

et inter agitationem saepe repetitam cum

Olei Olivarum partibus qvinqve 5

in balneo aqvae calefiat, donec Spiritus omnis adhibitus aufugerit. Massa adhuc calida, Oleum exprimatur, deinde per aliqvod tempus sepositum decantetur et filtretur. In vase non amplo et probe clauso loco umbroso servetur.

Sit limpidum et colore e flavo subviridi. Cave ne rancidum sit.

Nota. Ad hanc normam alia Olea infusa sive cocta, qvae postulata erunt, parentur, nisi forte medicus aliam parandi rationem praescripserit.

Oleum Jecoris Aselli.

Oleum Jecinoris Aselli D. 50.

(Oleum Jecoris Aselli flavum et fuscum Sv. 45. Pingvoleum Jecoris Gadorum N. 54).

Levertran.

Gadus Morrhua L. Gadus Callarias L. aliaeqve Gadi species.

1. Oleum Jecoris Aselli flavum:

Oleum limpidum, spissiusculum, colore aurantiaco vel flavo, odorem piscium referens.

2. Oleum Jecoris Aselli album,

vel sua sponte effluens vel vaporibus adhibitis vel alio modo paratum, sit limpidum, subflavidum, odore minus penetranti.

Ne sit rancidum neve turbidum; neve liqvor, qvi paretur, si Oleum cum Acido acetico diluto conqvassaveris et filtraveris, Solutione Bichromatis kalici addita, colore subflavo praecipitetur, neve, Acido sulphurico addito, colore albo praecipitetur. Gutta Acidi sulphurici cum paucis guttis Olei in patina porcellanea trita exhibeat colorem violaceum, qvi brevi post in colorem e subfusco rubrum mutetur.

Oleum Lauri.

Oleum laurinum D. 50.

(Lauri Fructus Oleum Sv. 45. Pingvoleum Fructuum Lauri N. 54).

Laurbærolie.

E Fructu.

Oleum viride, ungvinosum, granulosum, odore laurino et aromatico; in Aethere prorsus solvitur; si cum Spiritu frigido conqvassatur, Spiritus Aetheroleo et principio tinctorio imbuitur. In vase probe clauso servetur.

Oleum Lini.

(Lini Oleum Sv. 45. Pingvoleum Seminum Lini N. 54).

Hørfrøolie.

E Semine.

Oleum non nimis spissum, limpidum, flavum vel e subfusco flavum, siccescens, sapore miti, in temperatura ÷ 16° rigescens, in Aetheris parte una et dimidia et in Alcoholis partibus qvinqve solubile.

Oleum Olivarum.

(Oleum Olivarum florentinum vel provinciale Sv. 45. Pingvoleum Oleae optimum N. 54).

Olivenolie, Bomolie.

Olea Europaea L.

E Fructu.

Oleum limpidum, pallide flavum, odoris saporisqve paene expers, ad gradus paucos supra 0° in massam ungvinosam et granulosam rigescens.

Oleum Raparum.

(Pingvoleum Seminum Brassicarum N. 54).

Rapsolie.

Brassica Napus L.

E Semine.

Oleum luteum, limpidum, subspissiusculum, odore debili, adhaerenti, peculiari, ingrato, in temperatura ÷ 6° in massam flavam et butyri similem rigescens.

Oleum Ricini.

(Sv. 45. Pingvoleum Seminum Ricini N. 54).

Amerikansk Olie.

Ricinus communis L.

E Semine.

Oleum spissiusculum, coloris expers vel subflavum, frigore rigescens, sapore miti et ungvinoso, mox subacri, odoris expers, in duabus partibus Spiritus solubile.

Oleum sulphurato-terebinthinatum.

Oleum Terebinthinae sulphuratum, Balsamum Sulphuris terebinthinatum D. 50.

(Sv. 45. Oleum Sulphuris terebinthinatum N. 54).

Haarlemmerolie.

℞. Olei Lini partes qvattuor, ... 4

in cacabum ferreum satis amplum immissae, admixta

Sulphuris sublimati parte una, ... 1

inter perpetuam agitationem ad 165° calefiant, donec gutta exempta et in laminam vitream injecta post refrigerationem limpida maneat et in gelatinam obrigescat. Cacabo ab igne remoto, inter agitationem sensim addantur

Aetherolei Terebinthinae partes qvindecim ..... 15.

Solutio inde parata coletur et in lagena probe obturata servetur.

Sit limpidum et colore e rubro fusco.

Opium.

Opium levanticum s. smyrneum s. Extractum thebaicum D. 50.
(Opium levanticum vel smyrnaeum Sv. 45. Opium N. 54).

Opium.

Papaver somniferum L.

Placentae plus minusve rotundae vel compressae, ponderis varii, foliis Papaveris involutae et saepe fructibus Rumicis conspersae. Recentes molles sunt, inprimis intus, colore extrinsecus fusco, intus pallide fusco; constant aut ex granis parvis vel lacrimis, placentis dissectis, conspicuis, aut ex massa homogenea; digitis depstae magnopere mollescunt, siccatae obscuriores sunt, fractae nitent, si fricantur, et colorem e rubro fuscum induunt, in Aqva et Spiritu ex parte solvuntur, odore sunt soporifero, sapore amaro.

Centenae (100) partes Opii siccati et pulverati Morphinae circiter denas (10) partes contineant, qvod hac ratione invenitur: Centum partes cum Aqvae partibus qvingentis per horas viginti qvattuor macerentur; mixtura deinde demittatur in infundibulum, cujus apex spongia laxe alligata claudatur. Liqvore emisso, residuum partibus mille qvingentis Aqvae sensim affusae eluatur. Liqvor hac ratione paratus per sextam horae partem cum viginti qvinqve partibus Hydratis calcici coqvatur; deinde filtretur et residuum Aqva bullienti eluatur. Filtratum Acido hydrochlorato ad reactionem subacidam misceatur, deinde evaporetur, donec partes ducentae qvinqvaginta relictae sint. Post refrigerationem Solutione Ammoniaci accurate neutralisetur, dum diligenter provideas, ne Solutio Ammoniaci abundet. Massa fusca hinc orta filtrando secernatur et parva copia Aqvae tepidae eluatur; deinde liqvori filtrato, ad partes ducentas qvinqvaginta rursus evaporato, Solutio Ammoniaci parva ex parte abundans addatur. Hic liqvor per horas viginti qvattuor seponatur, qvo facto, Morphina separata in filtrum ponderatum colligatur et leviter eluatur, deinde, calore circiter 100° adhibito, siccetur et ponderetur.

Oxydum calcicum.

Calx s. Calcaria viva s. usta D. 50.
(Calx viva vel usta Sv. 45. Oxydum calcicum N. 54).

Brændt Kalk.

Massae albae vel e cano albae, plus minusve durae et fragiles; dimidia fere parte Aqvae inspersae incalescunt et in pulverem subtilissimum dilabuntur. In vase probe clauso servetur.

Oxydum hydrargyricum.

[Hydrargyrum oxydatum rubrum, Mercurius praecipitatus ruber D. 50.
(Oxydum hydrargyricum Sv. 45. N. 54).

Rødt Qvægsølvilte.

℞. Hydrargyri partes duas; 2

solvantur, calore adhibito, in

Acidi nitrici partibus tribus; 3

solutio in patina porcellanea evaporetur, donec paene sicca sit. Residuum in mortario porcellaneo cum

Hydrargyri partibus duabus 2

diligenter teratur, donec omne vestigium Hydrargyri metallici evanuerit. Mixtura deinde in patina porcellanea, calore sensim aucto, caute calefiat, donec vapores rubri non amplius evolvantur. Post refrigerationem pulvis remanens cum Aqva destillata, cui parva copia Solutionis Hydratis natrici addita sit, per aliqvot horas digeratur; deinde Aqva plane eluatur et leni calore siccatus in pulverem subtilissimum teratur, qvi in vase probe clauso, a luce remoto, servetur.

Sit pulvis subtilissimus, ponderosus, e rubro flavus, punctis nitentibus vacuus. In vase vitreo exploratorio candefactus aufugiat, vapores rubros non evolvens. In Acido nitrico plane solvatur; Solutione Acidi oxalici addita, ne mutetur.

Oxydum magnesicum leve.

Magnesia usta D. 50.
(Sv. 45. Oxydum magnesicum N. 54).

Let, brændt Magnesia.

Hydrato-carbonas magnesicus pulveratus in cacabum ferreum tectum immittatur et inter agitationem calefiat, donec neqve vapores Aqvae neqve Acidum carbonicum amplius aufugiat, et portiuncula exempta in Acido sulphurico diluto tranqville et sine fervore solvi possit. Pulvis remanens satis refrigeratus et per cribrum trajectus in lagenas statim ingeratur, in qvibus probe obturatis servetur.

Sit pulvis levissimus et albus; in Aqva ne solvatur; in acidis dilutis facile et sine fervore solvatur.

Oxydum magnesicum ponderosum.

Tung, brændt Magnesia.

Carbonas magnesicus in crucibulum inculcatus incandescat, donec portiuncula exempta in Acido sulphurico diluto sine fervore solvi possit. Post refrigerationem justam Oxydum magnesicum remanens eximatur et in lagenam statim immittatur, in qva probe obturata servetur.

Sit pulvis albus et ponderosior, in Aqva ne solvatur, in acidis dilutis sine fervore solvatur.

Oxydum plumbicum.

Lithargyrum D. 50.
(Sv. 45. Oxydum plumbicum N. 54).

Sølverglød.

Aut sqvamae nitentes aut pulvis e rubro flavus, subtilis, ponderosus, in Aqva indissolubilis, in Acido nitrico Aqva deluendo prorsus solubilis. Haec solutio Solutione Ammoniaci abundanti mixta colorem caeruleum vix induat.

Oxydum stibicum.

Stibium oxydatum D. 50.
(Oxydum stibicum Sv. 45. N. 54).

Spydglandsilte.

℞. Solutionis Chloreti stibici partes qvinqve;..... 5
inter perpetuam agitationem immittantur in
Aqvae communis partes centum ..... 100.
Sedimentum inde ortum in linteum distentum colligatur et Aqva destillata plane eluatur. Deinde sedimentum cum Aqva destillata in patinam porcellaneam immittatur, tum, addita tanta copia Carbonatis natrici, ut liqvor sit reactionis alkalinae manifestae, digeratur, donec Acidum carbonicum non amplius evolvatur. Jam sedimentum Aqva plane elutum, leni calore adhibito, siccetur et in vase probe clauso servetur.

Sit pulvis albus vel subalbus; calore adhibito, facile liqvefiat et, in vapores albos transformatus, avolet; in Solutione Hydratis kalici plane solvatur.

Oxydum zincicum.

Zincum oxydatum album, Flores Zinci D. 50.
(Oxydum zincicum Sv. 45. N. 54).

Zinkilte.

℞. Carbonatis natrici partes qvinqve;..... 5
solvantur in
Aqvae destillatae bullientis partibus sexaginta;..... 60
solutioni filtratae inter agitationem addatur solutio filtrata, e
Sulphatis zincici partibus qvattuor 4
et Aqvae destillatae bullientis partibus duodecim 12
parata. Mixtura in balneo aqvae per aliqvod tempus calefiat, deinde sedimentum in sacculum linteum infundibuliformem colligatur et Aqva plane eluatur; tum prelo expressum loco te-

pido siccetur. Massa pulverata in vase apto calefiat, donec portiuncula exempta in acidis dilutis sine fervore solvatur; deinde refrigerata in vas immittatur, in qvo probe obturato servetur.

Sit pulvis albus, non densus; ignitus flavescat, refrigeratus rursus albescat. Aqva cum pulvere digesta, deinde filtro ab eo separata, post evaporationem nullum residuum relinqvat. Pulvis in acidis dilutis facile et sine effervescentia solvatur; solutio, Solutione Sulphidi hydrici addita, colore fusco ne tingatur; Solutio Supercarbonatis ammonici addita praecipitatum album praebeat, qvod in liqvore praecipitanti abunde addito facile solvatur.

Oxydum zincicum venale.

Zinkhvidt.

Sit pulvis albus, ignitus flavescat, refrigeratus rursus albescat; in Acido sulphurico diluto facile et plane solvatur; solutio, addita Solutione Hydratis natrici, praecipitatum album praebeat, qvod in liqvore praecipitanti abunde addito facile solvatur. In vase probe clauso servetur.

Nota. Ne adhibeatur nisi ad usum externum.

Oxymel Scillae.

Oxymel scilliticum D. 50.
(Oxymel Scillae Sv. 45. N. 54).

Strandløg-Honning.

℞. Aceti Scillae partem unam, ... 1
Mellis depurati partes tres; 3

misceantur et, calore 90° non excedente adhibito, evaporentur, donec

tres partes 3

remaneant. Colentur.

Post refrigerationem in vase clauso loco frigido servetur.

Sit limpidum, colore e flavo fusco, sapore amaro et acido; ne sit odore vel sapore empyreumatico.

Pasta Cacao cum Caragheen.

Pasta Cacao cum Lichene Carragheno D. 50.
(Pasta Seminum Theobromatum cum Sphaerococco N. 54).

Chokolade med Karaghen.

℞. Pastae Cacao saccharatae partes viginti qvattuor,.. 24
Caragheen pulverati partem unam; 1
calore leni adhibito, misceantur et in tabulas formentur.

Pasta Cacao cum Lichene islandico.

(Pasta Seminum Theobromatum cum Cetraria N. 54).

Chokolade med islandsk Mos.

℞. Pastae Cacao saccharatae partes nonaginta,..... 90
Lichenis islandici pulverati partes novem,..... 9
Tuberis Saleb pulverati partem unam; 1
calore leni adhibito, misceantur et in tabulas formentur.

Pasta Cacao saccharata.

Chokolade.

℞. Seminis Cacao tosti, cortice denudati, in mortario paullum calefacto in massam subtilissimam redacti,.. 1
Sacchari albi pulverati, singulorum partem unam;... 1
calore leni adhibito, misceantur et in tabulas formentur.

Pasta Glycyrrhizae.

Gelatina Liqviritiae D. 50.

(Pasta Glycyrrhizae Sv. 45. Pasta Radicis Glycyrrhizarum N. 54).

Brystlim.

℞. Radicis Glycyrrhizae echinatae minutim concisae partes duas; 2

macerentur per decem vel duodecim horas cum

Aqvae communis partibus qvinqvaginta; 50

deinde in liqvore colato et filtrato solvantur

Gummi arabici partes qvindecim, ... 15

Sacchari albi partes novem ..... 9.

Solutio coletur et loco frigidulo seponatur, ut turbantes partes subsidant. Liqvor limpidus decantatus, calore leni adhibito, sine agitatione evaporetur, donec particula exempta, in lamina metallica frigida refrigerata, statim rigescat. Jam cuticula in superficie orta removeatur et massa, in capsulas metallicas stanno obductas et Oleo Cacao illitas effusa, calore leni siccetur, donec fragilis sit. In frusta minora dissecta loco prorsus sicco servetur.

Sit e flavo fusca et diaphana; ne sit sapore empyreumatico vel rancido. Humorem ex aëre facile trahit, qvo facto, mollis et flexibilis fit.

Phosphas natricus.

(Sv. 45. Phosphas natricus crystallisatus N. 54).

Phosphorsurt Natron.

Crystalla coloris expertia, diaphana, aëre sicco fatiscentia, in Aqvae frigidae partibus undecim, bullientis partibus duabus solubilia; solutio sit reactione subalkalina neve, additis acidis, effervescat; solutio Acido nitrico acidulata, addita Solutione Chloreti barici aut Nitratis argentici, vix turbetur; solutio alkalina vel acidulata, Solutione Sulphidi hydrici addita, ne mutetur. In vase probe clauso servetur.

Phosphas natricus siccatus.

Tørret phosphorsurt Natron.

℞. Phosphatis natrici grosse pulverati ..... q. v.; in vase operto loco calido (30⁰—36⁰) seponatur, ut fatiscat, donec circiter qvartam ponderis partem amiserit. Pulvis plane siccus cribretur, deinde in vase probe obturato servetur.

Sit pulvis albus; in Aqva satis facile solvatur; ceterum sese habeat ut Phosphas natricus.

Nota. Dispensetur, si medicus Phosphatem natricum pulveratum postulaverit.

Phosphorus.

(D. 50. Sv. 45. N. 54).

Phosphor.

Substantia coloris expers vel subflavida, pellucida, plerumqve in bacilla formata, Cerae instar nitens, aëri exposita fumum odore alliaceo spargens, in tenebris lucens; facile accenditur; in temperatura + 44⁰ sub Aqva in liqvorem limpidum et oleosum liqvescit, in Aqva non dissolvitur, in Spiritu et Aethere parva ex parte solvi potest, paullo magis in Oleis et Aetheroleis, maxima ex parte in Sulphido carbonico; vestigia Sulphuris et Arsenici inesse licet.

Sub Aqva loco a gelu tuto caute servetur in vase vitreo, capsula e laminis ferreis parata arenaeqve plena incluso.

Pilulae Jodeti ferrosi.

Jodjern-Piller.

℞. Ferri pulverati partes decem; 10
perfundantur

Aqvae destillatae partibus sedecim,..... 16

addantur sensim

Jodi partes viginti qvinqve,..... 25

tum liqvor agitetur, si opus est super ignem lenem, donec mixtura e fusco rubra colorem subviridem induerit. Jam continuo addantur

Mellis albi partes viginti qvattuor,..... 24

et massa paretur, additis

Radicis Althaeae pulveratae partibus octo,..... 8

Radicis Glycyrrhizae echinatae pulveratae partibus qvadraginta..... 40.

E viginti grammatibus hujus massae centum pilulae formentur, qvarum qvaeqve circiter qvina centigrammata Jodeti ferrosi contineat.

Parentur ex tempore.

Nota. Si Pilulae Jodeti ferrosi Blancardi vel Pilulae Blancardi, vocabulo „verae" non addito, postulatae erunt, pilulae in Ferro pulverato pervolvantur et loco non nimis calido probe siccatae vernice obducantur, parata e

Balsami Tolutani parte una,..... 1

in Aetheris partibus duabus..... 2

soluta; tum iterum siccentur. Pilularum vernice obductarum copiam loco frigido et umbroso servare licet.

Pix Pini.

Pix navalis s. solida s. nigra D. 50.

(Pix solida s. sicca Sv. 45. Pix Ligni Pinorum solida N. 54).

Sort Beg.

Massa resinosa, nigra, opaca, in frigore fragilis, in calore lenta, in Spiritu solubilis, odore Pyrolei Pini simili.

Pulpa Tamarindi.

Pulpa Tamarindorum D. 50.
(Pulpa Tamarindorum depurata Sv. 45. Pulpa Fructuum Tamarindi N. 54).

Tamarinde-Mos.

℞. Fructus Tamarindi crudi ..... q. v.
affundatur pondus dimidium

Aqvae communis bullientis,

et inter agitationem saepe repetitam digestio fiat, donec Fructus probe et aeqvabiliter emollitus sit. Tum massa per cribrum setaceum spathulae ligneae ope transmittatur et, leni calore adhibito, inter agitationem assiduam ad consistentiam syrupi spissi evaporetur.

Hujus Syrupi partibus tribus 3
addatur

Sacchari albi pulverati pars una, ... 1

qvo facto, evaporatio eodem modo qvo antea continuetur, donec massa consistentiae lentae et pultaceae parata sit. Post refrigerationem in vase clauso loco frigido et sicco servetur.

Sit colore e nigro fusco, sapore grato, dulci et acido. Ferrum politum in massam immissum cupro ne inducatur.

Pulvis Cinae ferratus.

Pulvis vermifugus D. 50.
(N. 54).

Ormepulver.

℞. Sulphatis ferrosi pulverati partem unam, ... 1

Florum Cinae pulveratorum partes sex ..... 6.

Misceantur.

Pulvis dentifricius niger.

Sort Tandpulver.

℞. Carbonis Ligni praeparati partes triginta qvinqve, . 35
Corticis Chinae Calisayae pulverati partes viginti, . . 20
Gummi-resinae Myrrhae pulveratae partes qvindecim, 15
Carbonatis kalici depurati partem unam, ... 1
Aetherolei Bergamo, ... 2
Aetherolei Caryophylli, singulorum partes duas; 2

misceantur et serventur in vase probe clauso.

Pulvis dentifricius ruber.

Rødt Tandpulver.

℞. Bitartratis kalici depurati venalis pulverati partes qvingentas, ... 500
Testarum Ostrearum praeparatarum partes qvadringentas; 400

misceantur et rubro colore inficiantur, additis

Carmini partibus octo, ... 8

solutis in parva copia Solutionis Ammoniaci, Aqva destillata dilutae.

Deinde addatur mixtura parata e

Sacchari albi pulverati partibus ducentis qvinqvaginta, ... 250
Aetherolei Menthae piperitae partibus octo, ... 8
Aetherolei Cassiae partibus sex, ... 6
Aetherolei Florum Aurantii partibus qvinqve . . . . . 5.

Postremo admisceantur

Hydratocarbonatis magnesici pulverati partes qvingentae 500

et per cribrum transmittantur.

In vase probe clauso servetur.

Pulvis digestivus.

(N. 54).

Digestivpulver.

℞. Bitartratis kalici partes qvattuor,..... 4
Nitratis kalici pulverati partes duas,..... 2
Radicis Rhei pulveratae partem unam..... 1.
Misceantur.

Pulvis effervescens.

Pulvis aërophorus D. 50.
(N. 54)

Brusepulver.

℞. Acidi tartarici pulverati gramma unum et dimidium;
dispensetur in charta alba.

℞. Bicarbonatis natrici pulverati grammata duo;
dispensentur in charta caerulea.

Pulvis effervescens compositus.

Pulvis aërophorus laxans D. 50.

Seidlizer-Pulver.

℞. Acidi tartarici pulverati gramma unum et dimidium;
dispensetur in charta alba.

℞. Tartratis natrico-kalici pulverati grammata octo,
Bicarbonatis natrici pulverati grammata duo;
mixta dispensentur in charta caerulea.

Pulvis Jalapae compositus.

Pulvis laxans D. 50.

Laxerpulver.

℞. Tuberis Jalapae pulverati partes duas, ... 2
Sulphatis kalici pulverati partem unam ..... 1.
Misceantur.

Pulvis Ipecacuanhae thebaicus.

Pulvis Ipecacuanhae compositus. Pulvis Doveri D. 50.
(Pulvis Ipecacuanhae thebaicus Sv. 45. Pulvis Cephaelidis opiatus N. 54).

Dovers Pulver.

℞. Radicis Ipecacuanhae pulveratae, ... 1
Opii pulverati, singulorum partem unam, ... 1
Sulphatis kalici pulverati partes octo ..... 8.
Misceantur.

Pulvis Magnesiae cum Rheo.

Pulvis Magnesiae compositus. Pulvis infantum cum Rheo D. 50.
(Pulvis Rhei cum Magnesia Sv. 45. Pulvis Magnesiae compositus N. 54).

Bornepulver.

℞. Sacchari albi pulverati partes centum; 100
conterantur cum
Aetherolei Foeniculi parte una 1
et misceantur
Radicis Rhei pulveratae, ... 100
Hydratocarbonatis magnesici pulverati, singulorum partibus centum ..... 100.
In vase probe clauso servetur.

Pulvis pro Pasta viennensi.

Pulver til Ætspasta.

℞. Hydratis kalici partes qvinqve; 5

conterantur in mortario ferreo calido in pulverem subtilem cum

Oxydi calcici partibus sex 6

et dispensentur in vase vitreo probe clauso.

Paretur ex tempore.

Pulvis pro vaporibus Chlori.

Pulvis ad fumigationes muriaticas. Suffitus Chlori D. 50.
(Pulvis ad fumigationes Chlori N. 54).

Mineralsk Røgelse.

℞. Superoxydi manganici pulverati partes tres, ... 3

Chloreti natrici sicci partes qvattuor; 4

misceantur et loco prorsus sicco serventur.

Cum hoc pulvere separatim dispensetur mixtura, ex

Acidi sulphurici crudi partibus septem..... 7

et Aqvae communis partibus qvattuor..... 4

parata.

Pulvis refrigerans.

(N. 54).

Kølende Pulver.

℞. Elaeosacchari Cedro,..... 1

Nitratis kalici pulverati, singulorum partem unam, .. 1

Bitartratis kalici partes sex..... 6.

Misceantur.

Pyroleum animale.

Oleum animale aethereum, Oleum animale Dippelii D. 50.
(Oleum Cornus Cervi empyreumaticum rectificatum Sv. 45. Oleum animale rectificatum N. 54).

Dippels-Olie.

Pyroleum animale crudum e retorta vitrea cum tubo refrigeratorio conjuncta et in balneo arenae collocata, leni calore adhibito, destilletur, qvamdiu destillatum tenue est. Destillatum cum copia Aqvae communis qvadruplici conqvassetur eodemqve modo destilletur, qvamdiu destillatum coloris expers est. Tum, Aqva, qvae simul transierit, separata, liqvor paratus qvassetur et infundatur in lagunculas, qvae repletae et epistomiis vitreis diligentissime clausae loco obscuro serventur.

Sit limpidum, coloris expers vel subflavum, odore acerrimo et aromatico; in Spiritu solutum reactionem alkalinam exhibeat in charta exploratoria Spiritu madefacta.

Pyroleum animale crudum.

Oleum Cornus Cervi foetidum D. 50.
(Oleum animale crudum N. 54).

Stinkende Hjortetakolie.

Liqvor Pyrolei Pini similis, obscure fuscus, paene niger, Aqva levior, reactione alkalina, in Aqva parva ex parte solubilis, in Spiritus partibus tribus prorsus solubilis, odore et sapore foetido et nauseoso, Pyroleum tenue et pallidum destillatione praebens. Rejiciendus est, si parte Pyrolei magis volatilis destillatione est privatus.

Pyroleum Juniperi.

Oleum Juniperi empyreumaticum D. 50. Editionis 57.

Branket Enebærolie.

Juniperus Oxycedrus.

Liqvor Pyrolei Pini similis, spissiusculus, obscure fuscus, odore subempyreumatico.

Pyroleum Lithanthracis.

Stenkultjære.

Liqvor spissus, fuscus vel e fusco niger, odore penetranti et empyreumatico.

Pyroleum Petrae.

Oleum Petrae, Petroleum D. 50.
(Petroleum v. Oleum Petrae Sv. 45. Petroleum album N. 54).

Stenolie.

Liqvor subflavus vel e subflavo ruber, limpidus, mobilissimus, iridescens, odore et sapore foetido et bituminoso, reactione acida. Calore prorsus avolat, facile accenditur, flammaqve lucida ardet; ponderis specifici est = 0,80—0,85; in Aethere, Oleis, Alcohole facile solvitur, difficilius in Spiritu.

Pyroleum Pini.

(Pix liqvida Sv. 45. Pix Ligni Pinorum liqvida N. 54).

Tjære.

Liqvor spissus, oleosus, obscure fuscus, subpellucidus, Aqva gravior, odore peculiari et empyreumatico, Aqvae odorem, saporem reactionemqve acidam impertiens.

Pyroleum Succini.

Oleum Succini rectificatum D. 50.
(Sv. 45. N. 54).

Rektificeret Ravolie.

Paretur e Pyroleo Succini crudi eodem modo, qvo Aetheroleum Terebinthinae, et servetur loco frigido et obscuro in lagena probe clausa.

Sit primum tenue et coloris paene expers, postea spissiusculum et colore obscuriore. In Spiritus partibus qvindecim solvatur; sit reactione nulla vel subacida.

Pyroleum Succini crudum.

Oleum Succini crudum D. 50.
(Oleum empyreumaticum Succini Sv. 45).

Raa Ravolie.

Liqvor obscure fuscus, spissiusculus, odore peculiari, ingrato, empyreumatico. Reactionem subacidam exhibet, in Spiritu plane solvitur.

Radix Alkannae.

Radix Alcannae D. 50.
(Alcannae Radix Sv. 45. Radix Alkannae tinctoriae N. 54).

Alkannerod.

Alkanna tinctoria Tausch.

Radix subcylindrica, multiceps, cortice molli, fragili, in lamellas facile discedenti, laxo, colore ex atro purpureo, a ligno duro colorisqve paene experti facile separabili. Pigmentum in Oleis facile solvitur, in Aetheroleis ex parte solvitur. Ne adhibeatur Radix decorticata.

Radix Althaeae.

Radix Altheae D. 50.
(Althaeae Radix Sv. 45. Radix Althaeae officinalis N. 54).

Althœarod.

Althaea officinalis L.

Radices secundariae simplices, longae, crassitudine digitali vel tenuiores, cortice exteriore deglupto albae vel subalbae, extrinsecus non raro in longitudinem sulcatae, cicatricibus fuscis,

ex fibrillis amputatis ortis, instructae, libro crassiusculo, valde fibroso, flexibili tectae; intus sunt magis farinosae et fragiles; sapore sunt subdulci et valde mucilaginoso.

Radix Angelicae.

(Angelicae Radix Sv. 45. Radix Archangelicae officinalis N. 54).

Angelikarod.

Archangelica littoralis Fr., Archangelica officinalis Hoffm.

Radices longae, qvattuor vel sex millimetra crassae, molles, sulcatae, e capite crasso, octo fere centimetra longo, subspongioso, supra dense et tenuiter anulato orientes. Cortex crassiusculus, extrinsecus e cano fuscus, intus albus, freqventibus receptaculis balsamiferis flavis repletus lignum colore subflavo et textura radiata includit. Radix manducata lingvam urit; odore est acri et peculiari, sapore initio subdulci, deinde amaro et forti. In vase probe clauso servetur.

Radix Armoraciae recens.

(Armoraciae Radix recens Sv. 45. Radix Armoraciae sativae N. 54).

Peberrod.

Nasturtium Armoracia Fr.

Radix rotunda, carnosa, multiceps, saepe longissima et crassa, extrinsecus e fusco flava, verrucis transversis anulisqve tenuibus instructa, intus alba; fricata odore est acri et lacrimas moventi, sapore est acri et mordenti. In arena humida servetur.

Radix Artemisiae.

Radix Artemisiae vulgaris D. 50.
(Artemisiae Radicis Fibrillae Sv. 45).

Graabynkerod.

Artemisia vulgaris L.

Radices longiusculae, duo fere millimetra crassae, flexibiles, ramosae, sulcatae, extrinsecus pallide fuscae, intus albae, e Rhizomate verticali, cylindrico, lignoso, circiter duo centimetra et dimidium crasso undiqve orientes, in segmento transverso circa lignum centrale anulo interrupto receptaculorum balsamiferorum e fusco rubrorum ornatae. In vase probe obturato serventur.

Ad pulverem parandum Radix recens siccata adhibeatur, lignumqve centrale relictum rejiciatur.

Radix Bardanae.

(Bardanae Radix Sv. 45. Radix Lapparum N. 54).

Burrerod.

Arctium tomentosum Schkuhr, A. minus Schkuhr. A. majus Schkuhr.

Radix subsimplex, longa, digitum fere crassa, extrinsecus rugosa, e cano fusca, intus pallidior, cortice crassiusculo et in parte interiore foraminibus qvasi albo-tomentosis saepe trajecto, ligno radiato, medulla tenui, lacerata, nivea; manducata est mucilaginosa, sapore subdulci, mox subamaro. Prostat plerumqve per longitudinem dissecta. Si segmentum Solutione Jodi spirituosa humectaveris, color fuscus, non caeruleus, oritur.

Radix Belladonnae.

(Belladonnae Radix Sv. 45. Radix Atropae N. 54).

Belladonnarod.

Atropa Belladonna L.

Radix ramosa, longa, qvattuor fere centimetra crassa, ramis longis et simplicibus instructa, recens carnosa, siccata farinosa, extrinsecus per longitudinem striata et rugosa, e subflavo cana, intus albida, fasciculis ligni dispersis, subflavis, porosis instructa, fracta pulverem excitans. Prostat plerumqve per longitudinem dissecta. Radix Solutione Jodi spirituosa

humectata colore caeruleo nigricanti tingitur. In vase probe obturato servetur.

Radix Columbo.

(Columbo Radix Sv 45. Radix Cocculi palmati N. 54).

Kolumborod.

Cocculus palmatus De Cand. Iateorrhiza palmata Miers.

Segmenta transversa paene orbiculata, tria vel qvattuor centimetra lata, qvattuor vel duodecim millimetra crassa, extrinsecus rugosa, e cano fusca, intus farinosa, subviridia vel e subfusco flava, intra marginem latum et elevatum utrimqve depressa vel in centrum rursus elevata; anulus obscurus et striis freqventibus radiatisqve decussatus marginem elevatum in duas partes aeqvas dividit; e superficie depressa fasciculi vasorum dispersi emergunt. Radix valde mucilaginosa sapore est peramaro; Solutione Jodi spirituosa humectata colore caeruleo tingitur.

Radix Cynoglossi.

(Radix Cynoglossi officinalis N. 54).

Hundetungerod.

Cynoglossum officinale L.

Radix longa, cylindrica, multiceps, carnosa, extrinsecus subfusca, intus alba, ligno stellato, supra medulla spongiosa. Prostat plerumqve dissecta, segmento sordido et e flavo fusco. Recens odore est narcotico, siccata paene nullo odore; sapore est mucilaginoso et subdulci.

Radix Gei urbani.

Radix Caryophyllatae D. 50.

(Caryophyllatae Radix Sv. 45. Radix Gei urbani N. 54).

Nellikerod.

Geum urbanum L.

Rhizoma verticale vel subverticale, saepe breviatum, praemorsum, supra crassius, duodecim fere millimetra crassum, durum, asperum, e nigro fuscum, fasciculo caulium residuorum divaricatorum et sqvamis e fusco nigris, in longitudinem dispositis, radicibusqve undiqve orientibus instructum; cortex est tenuis, intus e fusco ruber; lignum est album, medulla ampla et obscure lilacina; radices sunt longiusculae, semi-millimetrum crassae, durae, subfuscae. Odore est debili et caryophyllaceo, sapore subamaro et adstringenti. In vase probe clauso servetur.

Radix Gentianae.

(Gentianae rubrae Radix Sv. 45 Radix Gentianae purpureae N. 54).

Enzianrod.

Gentiana lutea L.

Radix praelonga, centimetra duo et dimidium crassa vel etiam crassior, breviter multiceps, paullum ramosa; prostat saepe per longitudinem dissecta, in longitudinem sulcata, supra anulis tenuibus, paullum inter se distantibus, transverse rugata, extrinsecus subflava vel e subrubro fusca, intus e rubro vel ex aurantiaco subfusca, recens carnosa, siccata fragilis, saepe spongiosa-porosa, fracta aspera; cortex est tenuis anuloqve saturatius tincto a ligno crasso separatur; sapore est peramaro.

Aliarum Gentianae specierum Radices, crassitudinem digiti referentes, strictiores, extrinsecus magis e cinereo fuscas, ceterum simillimas adhibere licet.

Radix Glycyrrhizae echinatae.

Radix Liqviritiae s. Glycyrrhizae D. 50.
(Radix Glycyrrhizarum N. 54).

Russisk Lakritsrod.

Glycyrrhiza echinata L.

Radix longa, qvattuor fere centimetra crassa, cortice exteriore privata, capite magno et tuberoso plerumqve liberata, colore flavo, libro tenui, ligno crasso et radiato; fractura est fibrosa, sapore dulci. Aqvae innatat.

Radix Glycyrrhizae glabrae.

Radix Liqviritiae s. Glycyrrhizae D. 50.
(Liqviritiae vel Glycyrrhizae Radix excorticata Sv. 45. Radix Glycyrrhizarum N. 54).

Spansk Lakritsrod.

Glycyrrhiza glabra L.

Radix praelonga, subsimplex, duo fere centimetra crassa, ponderosa, extrinsecus e fusco cana, per longitudinem rugosa, intus obscure flava, cortice crassiusculo; cortex interior lignumqve durum, valde fibrosum, solidum, in segmento transverso corneum, radiis medullaribus linearibus instructa sunt; sapore est dulci et subaustero.

In pulvere parando non haec, sed Radix Glycyrrhizae echinatae adhibenda est.

Radix Inulae.

Radix Helenii s. Enulae D. 50.
(Enulae Radix Sv. 45. Radix Inulae Helenii N. 54).

Alantrod.

Inula Helenium L.

Radix magna, ramosa, recens carnosa, siccata fragilis, in aëre humida lenta. Prostat deglupta et dissecta; radix primaria etiam in orbiculos transversos dissecta prostat. Colore est subflavo vel e subfusco albo, sapore amaro, odore peculiari. Intus, cortice exteriore excepto, ubiqve receptaculis oleosis freqventibus, parvis, nitentibus instructa est; anulus obscurior corticem crassiusculum separat a ligno carnoso, qvod fasciculos vasorum amplos radiosqve medullares latos et flavos continet.

Medulla radicis primariae satis ampla est, ramorum prope nulla.

Solutione Jodi spirituosa humectata colore fusco tingitur.

Radix Ipecacuanhae.

(Ipecacuanhae Radix Sv. 45. Radix Cephaelidis Ipecacuanhae N. 54).

Brækrod.

Cephaelis Ipecacuanha Willdenow.

Radix flexuosa, duo vel qvattuor millimetra crassa, in utramqve partem attenuata, anulis crassis, torosis, haud integris verrucosa, cortice crasso, corneo, extrinsecus obscurius vel pallidius fusco, intus subfusco, non radiato, a ligno tenui et albo facile separabili.

In pulvere parando lignum, qvod qvartam fere partem ponderis efficiat, remaneat et rejiciatur.

Radix Pimpinellae.

Radix Pimpinellae albae D. 50.

(Pimpinellae Radix Sv. 45. Radix Pimpinellae saxifragae N. 54).

Pimpinellerod.

Pimpinella saxifraga L.

Radix longiuscula, saepe multiceps, crassitudinem pennae anserinae vel digiti minoris adaeqvans, plerumqve simplex et recta, in longitudinem sulcata, verrucosa, supra transverse rugosa, colore e subflavo fusco, ligno citrino, radiis medullaribus albis instructo, anulo obscuro separato a cortice duro, intus aut niveo, sed radiis angustis, subflavis, ductus resinosos parvos et e fusco rubros continentibus instructo, aut subflavo et radiis subfuscis instructo. Radix manducata os urit; sapore est subdulci, odore hircino.

Radix Pyrethri.

(Pyrethri Radix Sv. 45. Radix Anacycli officinarum N. 54).

Bertramrod.

Anacyclus officinarum Hayne.

Radix simplex, longa, qvattuor fere millimetra crassa, extrinsecus e cinereo fusca, in longitudinem rugosa, intus pallidior et facile fragilis, cortice crassiusculo orbeqve ductuum balsamiferorum praedito, ligno radiato; manducata os urit et salivam vehementer movet.

Radix Ratanhiae.

(Ratanhiae Radix Sv. 45. Radix Krameriae triandrae N. 54).

Ratanhierod.

Krameria triandra Ruiz. et Pavon.

Radix lignosa, trunco crasso, supra multicipite, infra ramoso et ramis longis, unum et dimidium fere centimetrum crassis, cylindricis; aut rami soli a trunco desecti. Cortex est subfibrosus, sapore amaro et valde adstringenti, minimum sex partibus tenuior qvam lignum, cinnamomeum colorem referens, tenuissime striatum, porosum, saporis paene expers. Rejiciatur radix plus minusve decorticata.

Radix Rhei.

Radix Rhabarbari moscovitici D. 50.

(Rhei vel Rhabarbari indici vel chinensis Radix mundata Sv. 45. Radix Rheorum N. 54).

Rhabarberrod.

Rhei species ignotae.

Frusta multiformia, dura, plane deglupta, saepe foramine instructa, extrinsecus flava, plerumqve pulvere conspersa, intus radiis invicem rubris et albis, multifariam flexis, contortis, inricatis variegata.

Discernuntur duae merces: Rheum russicum s. moscoviticum et Rheum sinense s. indicum, qvod ex urbe Canton evehitur. Merx russica, olim pluris aestimata qvam hodie, colore saturatiore, minore pondere, segmento freqventissimis figuris albo- et rubro-radiatis praedito a sinensi differt.

Radix Sarsaparillae.

Radix Sarsaparillae de Honduras D. 50.
(Sarsaparillae Radix Sv. 45. Radix Smilacum N. 54).

Sarsaparillerod.

Smilacis species diversae Americae centralis et australis.

Radices praelongae, circiter 6 millimetra crassae, striatae vel sulcatae, extrinsecus e cinereo fuscae vel e fusco rubrae, medio cortice crassiusculo, aut farinoso et albo aut corneo et subfusco, anulo ligni clauso, radiis medullaribus completis non instructo, medulla alba et farinosa. Rhizoma, cui radices secundariae adnatae sunt, ante dispensationem radicis resecandum est.

Radix e Mexico advecta, sulcis profundis, medio cortice tenuiore et compresso, ligno crassiusculo praedita, nec minus qvaecunqve est lacera, macra stramentiqve similis, rejicienda est.

Radix Sassafras.

Lignum Sassafras D. 50.
(Sassafras Radix cum cortice Sv. 45. Radix Sassafras officinalis N. 54)

Sassafrasrod.

Sassafras officinalis Nees.

Lignum radicis leve, molle, stratis concentricis manifestis, colore pallide subfusco vel pallide subrubro. Ad nos advehuntur frusta flexuosa varia magnitudine, aut decorticata aut cortice spongioso, crasso, extrinsecus rimoso et cano, intus e fusco rubro tecta. Sapore est subdulci, odore foeniculaceo.

Radix Senegae.

(Senegae Radix Sv. 45. Radix Polygalae Senegae N. 54).

Senegarod.

Polygala Senega L.

Radix subcylindrica, basi tuberosa, circiter sex millimetra crassa, ad apicem versus sensim attenuata, subramosa, incurvata, in interiore curvaturae latere carina corticis acuta instructa, in altero latere torosa, colore subflavo vel e cano fusco; cortice crassiusculo et intus subflavo, ligno pallide flavo et in latere carinae opposito vel plano vel exciso; odore debili, manducata fauces radit.

Radix Serpentariae.

Radix Serpentariae virginianae D. 50.

(Serpentariae Radix Sv. 45. Radix Aristolochiae Serpentariae N. 54).

Virginiansk Slangerod.

Aristolochia Serpentaria L.

Rhizoma duo vel tria millimetra crassum, centimetra duo et dimidium fere longum, horizontale, flexuosum, mediocriter compressum, supra reliqviis caulis brevibus et tenuibus in longitudinem obsitum, infra radicibus freqventibus, octo fere centimetra longis, tenuissimis, fragilibus, pallide fuscis instructum. Lignum rhizomatis in latere inferiore crassius est qvam in superiore, lignum radicis est qvadrangulum vel qvinqvangulum. Radix sapore est amaro, fricata odore camphoraceo. In vase probe obturato servetur.

Radix Taraxaci.

(Taraxaci Radix Sv. 45. Radix Taraxaci officinalis N. 54).

Løvetandrod.

Taraxacum officinale Weber.

Radix siccata, basi centimetra duo et dimidium fere crassa, cylindrica, ad apicem versus sensim attenuata, plerumqve multiceps, subramosa, in longitudinem sulcata, extrinsecus paene e nigro fusca; cortice crasso, intus albo, spongioso, in segmento transverso anulis freqventibus, concentricis, lignum flavum et porosum cingentibus, instructo. Sapore est amariusculo.

Radix Valerianae.

Radix Valerianae minoris s. sylvestris D. 50.

(Valerianae minoris Radix Sv. 45. Radix Valerianae officinalis N. 54).

Baldrianrod.

Valeriana officinalis L.

Rhizoma circiter qvattuor centimetra longum, centimetra duo et dimidium crassum, interdum stoloniferum, e qvo undiqve oriuntur radices freqventes, longae, circiter duo millimetra crassae, teretes, recentes albae, siccatae e cano fuscae, striatae, cortice intus subfusco, ligno tenui et pallidiore instructae. Radix sapore est amaro, manducata os urit, odore est gravi. In vase probe obturato servetur.

Ramuli Sabinae.

Folia Sabinae D. 50.

(Sabinae Ramuli Sv. 45. Ramuli Juniperi Sabinae N. 54).

Sevenbom.

Juniperus Sabina L.

Ramuli novelli arcte condensati, foliis parvulis, rigidis, rhombicis, in dorso glandula oleosa instructis, in seriem qvadruplicem imbricatim dispositis, aetate procedente longius inter se distantibus et acuminatis, odore gravi, sapore nauseoso resinoso, amaro.

Resina Benzoë.

Benzoe s. Asa dulcis D. 50.

(Benzoes Resina Sv. 45. Resina Benzoin officinalis N. 54).

Benzoe.

Styrax Benzoin Dryand.

Aut grana conglutinata, extrinsecus e flavo fusca vel e rubro flava, intus lactea et nitida, odore grato et vanillaceo, aut massae compactae, colore e rubro fusco, granis pallidioribus inspersis; in Spiritu solvi possunt. Ne confundatur haec Benzoe Siamensis cum Benzoe de Penang vel de Sumatra, qvae vocatur, subalba et opaca, ex frustis albis, numerosis, massae pallide fuscae et parcae immersis constanti, styracem redolenti et cum Aqva Oxydoqve calcico cocta, Solutione Hypermanganatis kalici addita, odorem Aetherolei Amygdalarum amararum praebenti.

Resina Colophonium.

Colophonium D. 50.

(Sv. 45. N. 54).

Kolophon.

Pinus sylvestris L. et aliae species Pini.

Resina solida, fragilis, vitri instar nitens, flava vel subfusca, fractura conchata, diaphana, sapore debili et Terebinthinae simili, frigida odoris paene expers. Calore 135° liqvescit et in Spiritu, Aethere, Oleis et Atheroleis facile solvitur.

Resina Guajaci.

Resina Guajaci nativa D. 50.

(Guajaci Resina Sv. 45. Resina Guajaci N. 54).

Guajakharpix.

Guajacum officinale L.

Frusta rotunda, avellanae vel juglandis magnitudine, aut massae deformes, extrinsecus pulvere subviridi conspersae, fragiles, fractura vitri instar nitentes, in marginibus diaphanae, colore viridi, odore debili et peculiari. Substantiis oxydantibus additis, colorem viridem vel caeruleum induunt, in Spiritu et Solutione Hydratis kalici solvuntur. Si solutio spirituosa Aqva turbatur, praecipitatum Solutione Hydratis kalici solvatur, neve turbetur, addita majore parte hujus solutionis.

Resina Jalapae.

(Resina Radicis Ipomaeorum N. 54).

Jalapharpix.

Tuberis Jalapae pars una 1

per duos vel tres dies in Aqva communi maceretur, deinde Aqva defundatur, eademqve operatio, altera copia Aqvae communis adhibita, repetatur. Aqva iterum defusa, Tuber dissecetur et prelo exprimatur, tum modico calore siccatum in pulverem grossum redigatur et per duos dies cum

Spiritus concentrati partibus duabus 2

digeratur. Liqvor refrigeratus prelo exprimatur, et residuum eodem modo cum

Spiritus concentrati partibus duabus..... 2

digeratur, deinde refrigeretur et exprimatur. Liqvoribus commixtis et filtratis

Aqvae destillatae pars una..... 1

admisceatur, tum in balneo aqvae vel vaporis destillatio fiat, donec major pars Spiritus separata sit. Residuum calidum Aqva communi tepida abluatur, donec Aqva non amplius coloretur, tum leni calore inter agitationem saepe repetitam siccetur, donec portiuncula exempta et refrigerata fragilis sit neqve flecti possit. Jam massa in bacilla formetur.

Sit sicca, fragilis, extrinsecus e flavo fusca, fractura nitenti et obscuriore, sapore acri et aspero, eodem odore ingrato,

qvo Tuber Jalapae. In Spiritu, Acido acetico, Solutione Hydratis kalici plane solvatur. Aether et Chloroformium sex tantum centesimas partes ponderis Resinae recipiant. Resina Aqvam calidam ne coloret.

Resina Mastix.

Mastix D. 50.

(Mastix vel Mastiche Sv. 45. Resina Pistaciae Lentisci N. 54).

Mastix.

Pistacia Lentiscus L.

Grana subrotunda, pisi plerumqve magnitudine, subflava, fractura vitri instar nitentia, pellucida, facile friabilia, manducata mollescentia, odore debili, sapore aromatico. In Spiritu maxima ex parte solvuntur.

Resina Pini flava.

Resina communis D. 50.

(Resina flava Sv. 45. Resina Pinorum N. 54).

Almindelig Harpix.

Variae species Abietinorum et Pinorum.

Massa flava, obscure flava vel subfusca, fragilissima haud pellucida, hic illic limpida, fractura vitrea et conchata, odore et sapore terebinthaceo.

Rhizoma Calami.

Radix Calami aromatici D. 50.

(Calami vulgaris vel aromatici Radix Sv. 45. Radix Acori Calami N. 54).

Kalmusrod.

Acorus Calamus L.

Rhizoma compressum, cylindrico-planum, centimetra duo et dimidium fere latum, extrinsecus subviride, subrubrum vel sub-

fuscum, maxima ex parte anulatum, infra, radicibus desectis, cicatricosum, intus album et propter canales aëreos numerosos spongiosum, anulo obscuriore instructum. Sapore est amaro et aromatico, odore gravi et penetranti.

Ad usum medicum ne decorticetur.

Rhizoma Curcumae.

Radix Curcumae D. 50.
(Radix Curcumae longae N. 54).

Gurgemeierod.

Curcuma longa L.

Rhizomata aut ovalia et juglandis magnitudine (Curcuma rotunda) aut cylindrica et qvattuordecim fere millimetra crassa (Curcuma longa), compacta, ponderosa, subcornea, extrinsecus e flavo fusca, plus minusve anulata, in fractura transversa planiuscula, aurantiaca, anulo obscuriore instructa. Rhizoma est odore debili et zingibereo; manducatum os urit et salivam colore flavo tingit; sapore est subamaro. Solutio pigmenti laete flava Alkaliis et Acido boracico fuscatur.

Rhizoma Filicis.

Radix Filicis D. 50.
(Filicis Radix Sv. 45. Stipites Aspidii Filicis maris N. 54).

Bregnerod.

Aspidium Filix mas Sw.

Rhizoma varia longitudine, centimetra duo et dimidium fere crassum, recens carnosum, siccatum spongiosum, leve, intus colore viridi, paullatim cinnamomeo, fasciculis vasorum grandiusculis et in anulum interruptum dispositis instructum, tota superficie reliqviis petiolorum adscendentibus, angulatis, carnosis, extrinsecus e nigro fuscis, intus subviridibus obsitum, sqvamis fuscis tectum; his signis a rhizomatibus similibus dis-

cernitur. Radices sunt tenues. Sapore est subdulci et subamaro, odore peculiari et nauseoso. Auctumno colligendum est neqve ultra annum servandum.

Ad pulverem parandum Rhizoma, petiolorum reliqviis, sqvamis radicibusqve liberatum, cum reliqviis petiolorum degluptis caute siccetur, et pulvis viridis in vase vitreo diligenter clauso servetur; pulvis coloris cinnamomei rejiciatur.

Rhizoma Galangae.

Radix Galangae D. 50.

(Galangae Radix Sv. 45. Radix Alpiniae Galangae N. 54).

Galangarod.

Scitaminearum adhuc ignota species sinensis.

Rhizoma digiti crassitudine, qvinqve fere centimetra longum, cylindricum, ramis brevibus rarisqve instructum, saepe geniculatim inflexum, in longitudinem striatum, extrinsecus e rubro fuscum et albo anulo instructum, intus colore cinnamomeo et anulo fusco praeditum, valde fibrosum; manducatum os urit, sapore est subamaro, odore peculiari.

Rhizoma Graminis.

Radix Graminis D. 50.

(Graminis Radix Sv. 45. Stolones Tritici repentis N. 54).

Græsrod.

Agropyrum repens Beauv.

Rhizoma praelongum, duo fere millimetra crassum, ramosum, tenue, cavum, nodosum, in nodis solis instructum radicibus vaginisqve, colore pallide stramineo, sapore subdulci.

Rhizoma Iridis.

Radix Iridis florentinae D. 50.

(N. 54. Iridis florentinae Radix Sv. 45).

Violrod.

Iris florentina L., Iris pallida Lam.

Rhizoma decorticatum, subcompressum, solidum, durum; varia longitudine, qvattuor fere centimetra latum, articulosum, in latere inferiore, radicibus desectis, cicatricosum, saepe ramis clavatis mixtum, colore subalbo, odore violaceo, sapore subamaro, deinde acri.

Rhizoma Veratri.

Radix Hellebori albi D. 50.

(Hellebori albi Radix Sv. 45. Radix Veratri albi N. 54).

Hvid Nyserod.

Veratrum album L.

Rhizoma conicum, octo fere centimetra longum, supra duo vel qvinqve centimetra latum, saepe multiceps, foliis breviter desectis obsitum, extrinsecus e subnigro vel e subfusco cinereum, anulis haud manifestis praeditum, radicibus freqventibus desectis albide cicatricosum, intus sordide album, sub cortice anulo subfusco instructum, durum; manducatum os valde urit. Dum pulveratur, sternutamentum vehementissimum movet.

Rhizoma Zingiberis.

Radix Zingiberis albi D. 50.

(Zingiberis Radix Sv. 45. Radix Zingiberis officinalis N. 54).

Ingefær.

Zingiber officinale Roscoe.

Rhizoma biramosum, ramis brevibus, compressum, solidum, ponderosum, duo fere centimetra latum, aut undiqve aut in superficie superiore et inferiore decorticatum, intus pallide flavum vel albidum, obscuriore anulo subcorticali et parvis freqventibusqve receptaculis resinosis instructum, fractura subfibrosum; manducatum os urit, odore est peculiari et aromatico.

Rhizoma Zingiberis peralbum, in Oxydo calcico pallescens, interdum in mercatura occurrens, adhibere non licet.

Rotulae Menthae piperitae.

Pebermyntekager.

℞. Rotularum Sacchari albi partes centum qvinqvaginta; 150

conqvassentur in vase vitreo amplo et obturato cum

Aetherolei Menthae piperitae parte una, ... 1

in Aetheris partibus qvattuor 4

soluta, donec hunc liqvorem aeqvaliter perbibisse videantur. Per sextam vel duodecimam partem horae in vase plano pandantur, ut Aether exhaletur; in vase probe clauso serventur.

Sint albae, Aetheroleum Menthae piperitae valde redoleant.

Saccharum.

Saccharum album D. 50.

(Sv. 45. Saccharum Saccharorum N. 54).

Hvidt Sukker.

Saccharum officinarum L.

Sit siccum, peralbum odorisqve expers.

Saccharum Lactis.

(Sv. 45. N. 54).

Mælkesukker.

Crystalla albida, pellucida, prismatica, in cylindros vel crustas coalita, odoris expertia, sapore subdulci, inter dentes stridentia, in Aqvae partibus sex lente solubilia, in Spiritu indissolubilia.

Sal thermarum Carolinensium artificiale.

Karlsbader-Salt.

℞. Sulphatis natrici partes qvattuor, ... 4

Carbonatis natrici partes duas, ... 2
Chloreti natrici partem unam; 1
calore adhibito, solvantur in
Aqvae destillatae partibus qvattuor..... 4.
Solutio filtrata inter agitationem assiduam refrigeretur. Pulvis crystallinus inde ortus a lixivia remanenti separetur et inter plagulas chartae bibulae, nullo calore adhibito, siccetur. In vase probe clauso loco frigido servetur.

Sit pulvis albus et crystallinus; in Aqva facile solvatur.

Santoninum.

Santonin.

Crystalla parva, coloris expertia, in luce flavescentia. Sint odoris expertia et sapore amaro; in lamina platinea calefacta liqvescant et ex parte avolent, postremum sine residuo deflagrent. In Aqva vix solvuntur, in Aqva bullienti parva ex parte solvuntur, in Spiritu bullienti et in Chloroformii partibus tribus facile solvuntur; in Acidis mineralibus dilutis vix solvuntur, sed in Alkaliis solutis et in Solutione Hydratis calcici facile solvuntur. Solutio spirituosa, parva copia Solutionis Hydratis kalici addita, colore coccineo tingitur. Serventur in vase vitreo probe clauso et a luce remoto.

Sapo albus oleaceus.

Sapo hispanicus albus D. 50.

(Sapo albus hispanicus vel durus alicantinus Sv. 45. Sapo alicantinus N. 54).

Hvid spansk Sæbe.

Sit peralbus et durus, in aëre ne humescat neve efflorescat, ne sit odore rancido, in Aqva et in Spiritu plane solvatur.

Sapo butyraceus.

Sapo e butyro D. 50.
(Sv. 45).

Smørsæbe.

Sit sordide albus, Butyrum purum, non rancidum redolens, in Aqva et Spiritu solvatur, in aëre siccus maneat, modice efflorescens.

Sapo medicatus.

Medicinsk Sæbe.

℞. Solutionis Hydratis natrici partes septuaginta duas; 72
in patina porcellanea commisceantur cum

Olei Olivarum partibus centum ..... 100.

Mixtura, leni calore adhibito, inter agitationem saepe repetitam digeratur, donec Sapo durus ortus sit, et portiuncula exempta in Aqva calida limpide solvi possit. Sapo paratus, calore adhibito, solvatur in

Aqvae destillatae partibus trecentis, ... 300

tum addatur Solutio filtrata, e

Chloreti natrici partibus viginti qvinqve 25

et Aqvae destillatae partibus septuaginta qvinqve.... 75

parata, qvo facto, mixtura coqvatur, donec Sapo rursus plane secretus sit. Hic Sapo refrigeratus Aqva destillata abluatur, deinde in linteo exprimatur et cum

Aqvae destillatae partibus sexaginta..... 60

denuo liqvefiat; jam massa liqvefacta in modulos ligneos madefactos effundatur. Post refrigerationem Sapo eximatur, deinde in frusta dissectus et loco tepido siccatus pulveretur et in vase probe clauso servetur.

Sit pulvis albus, in Aqva et Spiritu plane solubilis, sapore miti, odore non rancido.

Scammonium.

Scammonium aleppense D. 50.
(Sv. 45. Gummi-resina Convolvuli Scammoniae N. 54).

Skammonium.

Convolvulus Scammonia L.

Frusta levia, langvida, scabra, opaca, sicca, haud ungvinosa, fractura opaca vel Cerae instar nitentia, parvis foraminibus instructa, colore e subviridi cinereo. Cum Aqva trita emulsionem subviridem praebent, sapore primum leni, deinde acri et austero; calore prorsus liqvescunt. Acidis additis, ne effervescant; decoctum post refrigerationem, Jodo addito, colore caeruleo ne inficiatur.

Secale cornutum.

(Sv. 45. Spermoedia clavus N. 54).

Meldroie.

Claviceps purpurea Tulasne.

Mycelia obtuse triangula, plerumqve subcurva, in utramqve partem aut in superiorem tantum attenuata, trisulca, colore e nigro violaceo, saepe pruinosa, interdum appendice sordide alba et molli ab apice instructa, centimetra duo et dimidium fere longa, circiter tria millimetra lata, odore peculiari, sapore nauseoso. Adhibeantur ea sola, qvae in Secali cereali nascuntur, colligantur ante messem, siccentur calore leni, minore 50°, serventur in vasis diligenter clausis, si fieri potest, ne ultra annum.

Parva copia eodem tempore pulveranda est.

Semen Amygdali amarum s. Amygdalae amarae.

Amygdalae amarae D. 50.
(Sv 45. Semina Amygdali communis amarae N. 54).

Bittre Mandler.

Amygdalus communis L.

Semina oblonga, subcompressa, testa membranacea, e flavo fusca, pulverulenta, embryone albo, pingviter carnoso, in duas cotyledones facile fissili. Sapore sunt amaro, odore paene nullo, sed cum Aqva trita odorem peculiarem spargunt.

Semen Amygdali dulce s. Amygdalae dulces.

Amygdalae dulces D. 50.

(Sv. 45. Semina Amygdali communis dulcis N. 54).

Søde Mandler.

Amygdalus communis L.

Semina amaris similia sunt, plerumqve tamen majora et planiora. Sapore sunt oleoso et subdulci, cum Aqva trita odorem non spargunt.

Semen Cacao.

Cacao D. 50.

(Cacao Semina de Caracas Sv. 45. Semina Theobromatum N. 54).

Kakaobønner.

Theobroma Cacao L.

Semina ovoidea, plus minusve compressa, ad centimetra duo et dimidium longa, testa fragili, rubro vel e cano fusca, cotyledonibus plano-convexis, fuscis, intus irregulariter plicatis, in frusta minora et angulata facile dilabentibus, odore aromatico, sapore oleoso, subamaro, subacerbo. Semina majora, pingviora, fermentescendo mitigata, praeferenda sunt.

Semen Calabar s. Physostigmatis.

Kalabarbønne.

Physostigma venenosum Balf.

Semina obscure fusca, subnitida, granoso-aspera, intus subflava, formam segmenti circuli exhibentia, a parte orbiculata umbilico instructa, totam paene longitudinem occupanti, sulcato, in longitudinem tribus lineis tenuibus praedito, duabus lineis e fusco rubris et convexis cincto. Odoris expertia sunt, sapore debili et fabarum simili; pupillam contrahunt.

Semen Colchici.

(Colchici Semina Sv. 45. Semina Colchici autumnalis N. 54).

Tidløsefrø.

Colchicum autumnale L.

Semina plane matura, subglobosa, circiter duo millimetra crassa, cornea, extrinsecus obscure fusca, foveolato-punctata, nisi vetusta sunt, subviscida, intus e cano alba. Sapore sunt nauseoso et peramaro.

Semen Cydoniae.

Semina Cydoniorum D. 50.

(Cydoniorum Semina Sv. 45. Semina Cydoniae vulgaris N. 54).

Qvædekjerner.

Cydonia vulgaris Persoon.

Semina cuneata, angulata vel compressa, circiter sex millimetra longa, e rubro fusca, membranula subalba, opaca, mucilaginea tecta; plerumqve plura conglutinata sunt. In Aqva turgescunt et, mucilagine emollita, lubrica fiunt.

Semen Foeni graeci.

Bukkehornfrø.

Trigonella Foenum Graecum L.

Semina durissima, subrhomboideo-qvadrangula, utrinqve obliqve truncata, e flavo fusca, circiter tria millimetra longa,

embryone uncinato, radicula sub testa valde elevata. Odore sunt graviter melilotino, manducata mucilaginosa, sapore amaro.

Semen Hyoscyami.

(Semina Hyoscyami nigri N. 54).

Bulmeurtfrø.

Hyoscyamus niger L.

Semina minima, compressa, subreniformia, foveolato-punctata, e cano fusca, intus alba, sapore oleoso et amaro.

Semen Lini.

(Lini Semina Sv. 45. Semina Lini usitatissimi N. 54).

Hørfrø.

Linum usitatissimum L.

Semina ovata, compressa, qvattuor circiter millimetra longa, levia, nitida, fusca; in Aqva turgescunt et lubrica fiunt; sapore sunt mucilaginoso et oleoso.

Semen Myristicae.

Nuces moschatae D. 50.

(Nux moschata Sv. 45. Semina Myristicae moschatae N. 54).

Muskatnødder.

Myristica moschata Thunb.

Semina rotundo-ovata, centimetra duo et dimidium fere longa, extrinsecus reticulato-rugosa, saepe pulvere albo adspersa, intus pallide subfusca, interiore seminis integumento obscure aurantiaco in interiorem seminis partem procedente colorata, odore aromatico, sapore aromatico et subamaro.

Semen Nucis vomicae.

Nuces vomicae D. 50.

(Nucis vomicae Semina Sv. 45. Semina Strychni Nucis vomicae N. 54).

Rævekager.

Strychnos Nux vomica L.

Semina discoidea, orbiculata, centimetra duo et dimidium fere lata, media parte concava, indumento pilorum adpressorum, e subflavo canorum, ad circulum versorum, sericeorum vestita, cornea, intus fissa et alba. Sapore sunt peramaro. Raspata ne emantur.

Semen Qvercus.

Glandes Qvercus D. 50.

(Qvercus Glandes Sv. 45. Semina Qvercuum N. 54).

Agern.

Qvercus robur L. Qvercus sessiliflora Sm.

Semina plane matura, pericarpio orbata; e cotyledonibus binis, oblongis, subplano-convexis, facile fissilibus, duris, extrinsecus reticulatis et fuscis, intus albis vel pallide flavis, constant saporeqve sunt ingrate amaro et adstringenti.

Semen Qvercus tostum.

Glandes Qvercus tostae D. 50.

Agernkaffe.

Semina Qvercus pericarpio orbata et probe siccata in vase ferreo apto inter continuam agitationem torreantur, donec sint fragilia et colorem fuscum induerint. Refrigerata et pulvere subtili nigroqve adhaerenti liberata in pulverem grossiusculum redigantur. Pulvis in vase diligenter obturando comprimatur et servetur.

Sit pulvis colore fusco, sapore subadstringenti; coffeam tostam redoleat.

Semen Sabadillae.

(Sabadillae Semina Sv 45. Semina Schoenocaulorum N. 54).

Lusefrø.

Sabadilla officinalis Brandt.

Semina oblonga, angulata, rugosa, e fusco nigra, sex fere millimetra longa, amarissima et acerrima, qvorum acrimonia fauces diu urit.

Semen Sinapis albae.

(Sinapis albae Semina Sv. 45. Semina Sinapis albae N. 54).

Hvid Sennep.

Sinapis alba L.

Semina subglobosa, e subrubro flava, opaca, foveolato-puncticulata, umbilico parvo intructa, circiter unum et dimidium millimetrum crassa, odoris expertia, sapore acri, magnam copiam olei continentia.

Semen Sinapis nigrae.

(Sinapis nigrae Semina Sv. 45. Semina Brassicae sinapioidis N. 54).

Sort Sennep.

Sinapis nigra L.

Semina subglobosa, unum millimetrum crassa, foveolato-punctata, extrinsecus e rubro fusca, intus flava, pulverem praebentia e flavo viridem, qvi Aqva humectatus odorem acerrimum extricet; manducata primum sapore sunt peramaro et oleoso, postea os vehementer urunt.

Semen Stramonii.

(Stramonii Semina Sv. 45. Semina Daturae Stramonii N. 54).

Pigæblefrø.

Datura Stramonium L.

Semina reniformia, compressa, leviter reticulato-punctata, extrinsecus nigra, intus alba, ad duo millimetra longa et paulo latiora, sapore ingrato et subamaro.

Sericum adhaesivum.

Emplastrum adhaesivum anglicum D. 50.
(Sericum adhaesivum Sv. 45. N. 54).

Engelsk Hefte-Plaster.

℞. Collae Piscium minutim concisae grammata nonaginta; 90

per duodecim fere horas emolliantur in

Aqvae communis grammatibus ducentis; 200

deinde addatur

Aqvae communis ..... q. s.

et simul coqvantur, donec solutionis Collae Piscium grammata mille remaneant. Colatione facta, dimidia parte hujus solutionis calidae alterum latus panni serici expansi, tenuis sed dense texti, unum cubitum longi, duos cubitos lati, ope penicilli mollis vel Spongiae marinae saepius illinatur, cura adhibita, ne pannus solutionem transmittat, et ut singula strata tenuia prius siccata sint, qvam proximum stratum inducatur.

Altera pars solutionis commisceatur cum

Spiritus concentrati grammatibus trecentis qvinqvaginta 350

et Glycerini grammatibus qvinqve..... 5

et illa ratione, qvae supra exposita est, panno inducatur. Deniqve pannus probe siccetur, et alterum ejus latus copia sufficienti

Tincturae Benzoes

semel atqve iterum inducatur, qvo facto, pannus iterum siccetur et loco prorsus sicco servetur.

Sit flexibile, et ubiqve eadem crassitudine; si Sericum adhaesivum inflexeris, Colla Piscium ne avellatur; latus adhaesivum sit nitidum; madefactum cuti tenaciter adhaerescat.

Serum Lactis aluminatum.

Serum Lactis aluminosum D. 50.
(Serum Lactis aluminatum N. 54).

Alunholdig Mælkevalle.

℞. Lactis vaccini cremore exempti partes ducentas;.. 200
inter agitationem ebulliant cum

Sulphatis aluminico-kalici pulverati parte una;.... 1
coagulatione peracta, liqvor coletur, deinde Serum coqvatur cum

Albuminis Ovi in spumam conversi partibus octo,. 8
donec limpidum fiat, qvo facto, coletur et filtretur.

Sit colore subopalescenti, sapore subdulci et adstringenti. Paretur ex tempore.

Sevum ovillum.

(Sv. 45. Sebum N. 54).

Faaretalg.

Ovis Aries L.

Frusta vel tabulae albae, pingviter durae, odore debili; facile liqvescunt et liqvorem limpidum colorisqve paene expertem sine sedimento praebent. Ad chartam exploratoriam indifferentes sint.

Solutio Acetatis ammonici.

(Spiritus Mindereri).

Liqvor Ammonii acetici D. 50.
(Solutio Acetatis ammonici Sv. 45. N. 54).

Minderers Spiritus.

℞. Acidi acetici partes duodecim; 12
immittantur in patinam porcellaneam et inter agitationem addantur

Solutionis Ammoniaci partes decem, ... 10

aut tanta copia, ut Acidum plane neutralisetur, qvo facto, liqvor filtretur et in vase vitreo probe clauso servetur.

Sit liqvor limpidus colorisqve expers, calore adhibito volatilis, reactionis, qvoad fieri potest, neutrius. Solutione Sulphidi hydrici, Chloreti barici, Nitratis argentici ne turbetur. Pondus specificum sit = 1,038—1,042. Partes centum (100) continent partes viginti (20) Acetatis Ammonici.

Solutio Ammoniaci.

Liqvor Ammonii caustici, Ammoniacum causticum, Spiritus Salis ammoniaci caustici D. 50.

(Ammoniacum causticum Sv. 45. Solutio Ammoniaci N. 54).

Ammoniakvand, Salmiakspiritus.

℞. Oxydi calcici partes qvinqve; 5

exstingvantur

Aqvae communis partibus duabus; 2

deinde admisceantur

Chloreti ammonici grosse pulverati partes qvattuor, . 4

Aqvae communis partes duae ..... 2.

Mixtura parata in cacabum ferreum aptum, operculo diligenter claudendum, qvam celerrime infundatur. Operculum sit instructum duobus tubis, qvorum alter inter operationem obturamento claudendus erit, alter tubo vitreo bis geniculato conjungendus cum lagena duorum collorum ampla et inani, qvae tubo incurvo cum excipulo rursus conjungatur; qva in re providendum erit, ut tubus ad fundum excipuli paene pertineat. Excipulum

Aqvae destillatae partes octo 8

contineat atqve in Aqva frigida ita collocetur, ut semper probe frigidum sit. Apparatu ita constructo, ut aëri non pervius sit, cacabus calore initio leni, postea sensim aucto calefiat, donec omne gas Ammoniaci expulsum sit. Qvo facto, obturamentum,

alterum tubum cacabi claudens, eximatur; deinde excipulum removeatur. Liqvor, qvi in excipulo inerit, Aqva destillata diluatur, donec pondus specificum sit = 0,960, et in lagena epistomio vitreo probe clausa loco frigido servetur.

Sit liqvor limpidus colorisqve expers, odore fortiter ammoniacali, non empyreumatico, calore plane avolans. Liqvor, Acido nitrico neutralisatus, Solutione Nitratis argentici, Oxalatis ammonici, Sulphidi hydrici ne turbetur. Centum partes (100) continent decem partes (10) Ammoniaci anhydri.

Solutio Ammoniaci spirituosa.

Liqvor Ammonii vinosus, Spiritus salis ammoniaci vinosus D. 50.
(Solutio Ammoniaci alcoholica N. 54).

Ammoniakspiritus.

℞. Solutionis Ammoniaci partem unam; 1
conqvassetur cum

Spiritus concentrati parte una..... 1.

Servetur in lagena epistomio vitreo probe clausa.

Sit limpida. Centum partes (100) continent qvinqve partes (5) Ammoniaci anhydri.

Aqvae destillatae admixta eodem modo tentetur, qvo Solutio Ammoniaci, tamen copia Ammoniaci diversa est.

Solutio Arseniatis natrici.

Solutio Natri arsenicici (loco Solutionis arsenicalis Pearsoni).

Opløst arseniksurt Natron.

℞. Acidi arsenicosi comminuti partes undeviginti;..... 19
immittantur in cucurbitam, in qva insint

Acidi nitrici partes septuaginta qvinqve ..... 75.

Cucurbita in balneo aqvae calefiat, donec omne Acidum

arsenicosum solutum sit, et vapores rubri non amplius evolvantur. Liqvor in patinam porcellaneam immissus evaporetur, donec siccus sit, deinde in balneo arenae, calore 150° non excedente, calefiat, donec omne Acidum nitricum expulsum sit. Residuum album digestione in

Aqvae destillatae partibus trecentis 300

solvatur; deinde addantur

Carbonatis natrici partes qvinqvaginta qvinqve.... 55.

Liqvor post ebullitionem filtretur; deinde tanta copia

Aqvae destillatae

admisceatur, ut pondus liqvoris totius sit

partium triginta millium 30000,

qvae in lagena probe oturata serventur.

Sit liqvor limpidus colorisqve expers, reactionis alkalinae, Solutione Nitratis argentici addita, sedimentum colore rubrofusco praebeat. Partes qvingentae (500) partem unam (1) Arseniatis natrici (2 Na.O, HO, As.O^5 + 14 HO) vel Acidi arsenicici partes 0,36 continent.

Solutio Carbonatis kalici.

(Loco Liqvoris Kali carbonici D. 50).

Opløst kulsurt Kali.

℞. Carbonatis kalici partes tres; 3

solvantur in

Aqvae destillatae partibus octo 8

et filtrentur. Filtrato tanta copia Aqvae destillatae addatur, ut pondus specificum liqvoris sit = 1,190—1,194.

Sit liqvor limpidus colorisqve expers; Solutione Sulphidi hydrici addita, ne mutetur. Liqvor Acido nitrico neutralisatus, Solutione Chloreti barici addita, ne turbetur, Solutione Nitratis argentici addita, vix turbetur.

Centum (100) partes continent viginti (20) partes Carbonatis kalici anhydri.

Nota. Qvinqve partes hujus Solutionis respondent circiter tribus partibus Liqvoris Kali carbonici Ph. Dan. 1850.

Solutio Chloreti ferrici.

Loco Liqvoris Ferri muriatici oxydati, Olei Martis, Liqvoris styptici Loffii D. 50.

Opløst Jerntvechlor.

℞. Chloreti ferrici partem unam; 1

solvatur in

Aqvae destillatae parte una 1

vel tanta copia, ut pondus specificum solutionis paratae sit = 1,298—1,302. In vase vitreo, epistomio vitreo clauso, a luce remoto, servetur.

Sit liqvor limpidus et e flavo fuscus. Partes centum (100) continent circiter partes decem (10) Ferri.

Nota. Tres partes hujus Solutionis respondent circiter duabus partibus Liqvoris Ferri muriatici oxydati, Ph. Dan. 1850.

Solutio Chloreti ferrici spirituosa.

Tinctura Ferri muriatici D. 50.

(Solutio Chloreti ferrici spirituosa Sv. 45).

Jernchlorid-Draaber.

℞. Solutionis Chloreti ferrici partes tres, ... 3

Spiritus concentrati partes qvinqve ..... 5.

Misceantur et filtrentur, tum in vase vitreo, epistomio vitreo clauso, loco umbroso serventur.

Sit colore e fusco flavo, limpida. Partes centum (100) continent fere qvattuor (4) partes Ferri.

Solutio Chloreti ferrici spirituoso-aetherea.

Spiritus sulphurico-aethereus martiatus, Liqvor anodynus martialis D. 50.

(Solutio Chloreti ferrici spirituoso-aetherea Sv. 45).

Jernholdige Hoffmanns-Draaber.

℞. Chloreti ferrici partes tres; 3

solvantur in

Aqvae destillatae partibus tribus ..... 3.

Solutio in lagenam claudendam immissa cum

Aetheris partibus decem..... 10

probe conqvassetur et per horas viginti qvattuor seponatur. Aether limpide defusus cum

Spiritus concentrati partibus viginti 20

commisceatur, cujus mixturae tanta copia in lagenam immittatur, ut duae tertiae partes lagenae repletae sint; tum lagena clausa radiis solis exponatur, donec color liqvoris prorsus evanuerit. Deinde lagena, cujus obturamentum saepius extrahendum erit, seponatur, donec liqvor colorem subflavum induerit. Servetur in lagena opaca, epistomio vitreo accurate clausa.

Sit limpida, colore subflavo; per longius temporis spatium seposita colorem e subviridi flavum induat. Reactione est acida et Ferrum resipit.

Solutio Chloreti stibici.

Liqvor Stibii muriatici (loco Butyri antimonii) D. 50.

Spydglands-Smør.

℞. Sulphureti stibici laevigati partem unam; 1

in cucurbitam immittatur, et affundantur

Acidi hydrochlorati crudi partes qvattuor ..... 4.

Mixtura in balneo arenae, calore sensim aucto, calefiat, donec gas Sulphidi hydrici non amplius evolvatur. Solutio per ali-

qvod tempus seposita per asbestum filtretur, deinde aut sub divo aut sub fumariolo vapores avide attrahenti evaporetur, donec refrigerata ponderis specifici sit = 1,44—1,45. Servetur in vase vitreo, epistomio vitreo clauso.

Sit limpida et colore subflavo. Solutionis pars una cum Aqvae partibus sex commixta sedimentum tam copiosum praebeat, ut mixtura in pultem albam paene obrigescat, qvae, Acido tartarico addito, plane solvi possit. Haec solutio, Solutione Sulphidi hydrici addita, colore aurantiaco praecipitetur.

Solutio Chlori.

Aqva chlorata, Aqva oxymuriatica D. 50.
(Aqva Chlori Sv. 45. Solutio Chlori N. 54).

Chlorvand.

℞. Superoxydi manganici in frustis magnitudinem nucis avellanae adaeqvantibus

tantam copiam, ut cucurbita apta usqve ad collum repleatur. Deinde in cucurbitam infundantur

Acidi hydrochlorati crudi partes qvinqve..... 5.

Cucurbita tanta sit, ut Acidum dimidiam summum partem spatii relicti repleat, et obturamento subereo claudatur, in qvod insertus sit tubus vitreus bis curvatus ad gas Chlori evolutum in Aqvam, qva absorbeatur, ducendum. Aqvae destillatae sint partes qvadraginta et aeqvaliter distribuantur in duas lagenas tantas, ut ad dimidiam tantum partem repleantur. Cucurbita in balneo aqvae collocata ita cum altera lagena laxe conjungatur, ut orificium tubi ad superficiem Aqvae pertineat. Ubi superior pars lagenae colorem e flavo viridem induerit, haec lagena removenda erit, et altera in ejus locum substituenda. Lagena remota statim obturetur, deinde vehementer et assidue qvassetur, ut gas Chlori absorbeatur, tum, altera lagena Chloro repleta, tubo denuo supponatur. Haec permutatio et qvassatio ter vel qvater repetatur, donec Aqva plus Chlori recipere non possit. Solutio Chlori immittatur in lagenas minores, flavas vel

nigras, qvae, epistomiis vitreis clausae, loco obscuro et frigido serventur.

Sit liqvor limpidus et e flavo viridis; chartam exploratoriam caeruleam statim decoloret, colore rubro non ante exorto. Si Solutioni Sulphatis ferrosi partium qvinqve, parva copia Acidi sulphurici acidulatae, partes ducentas Solutionis Chlori addideris, liqvor inde paratus guttam Solutionis Hypermanganatis kalici ne decoloret. Igitur partes centum (100) minimum 0.32 partes Chlori continent.

Solutio Hydratis calcici.

Aqva Calcariae. Aqva Calcis D. 50.
(Aqva Calcis Sv. 45. Solutio Oxydi calcici N. 54).

Kalkvand.

℞. Oxydi calcici partem unam; 1

sensim aspergatur tanta copia

Aqvae communis,

ut fatiscat; deinde

Aqvae communis partibus qvinqvaginta 50

sensim affusis diligenter misceatur, in vase clauso seponatur saepiusqve agitetur. Liqvor subturbidus decantetur in lagenam vel in urceum, qvi deinde claudatur et subinde qvassetur. Ante dispensationem Solutio in infundibulo operto celeriter filtretur.

Sit limpida, coloris expers, reactione alkalina; fervefacta vel aëri exposita turbetur.

Solutio Hydratis kalici.

Liqvor Kali caustici D. 50.
(Solutio Hydratis kalici Sv. 45).

Kalilud.

℞. Carbonatis kalici depurati partes octo; 8

in lebetem ferreum diligenter politum immittantur et solvantur in

Aqvae communis partibus octoginta; 80

solutio calefiat, donec bulliat, eiqve sensim addantur

Oxydi calcici partes qvinqve,..... 5

antea exstinctae

Aqvae communis partibus qvindecim ..... 15.

Mixtura coqvatur, donec portiuncula exempta non amplius gas evolvat, si in Acidum sulphuricum dilutum filtrata sit. Liqvor in unam vel plures lagenas probe obturandas immissus seponatur, donec partes nondum solutae subsederint. Liqvor limpidus siphone detrahatur et in lebete ferreo diligenter deterso igne celeri evaporetur, donec portiuncula exempta et refrigerata ponderis specifici sit = 1,194—1,198.

Sedimentum in lagenis remanens cum

Aqvae communis partibus qvadraginta 40

qvassatum seponatur, ut turbantes partes subsidant, deinde tractetur, ut supra expositum est. Liqvores collecti serventur in lagenis, qvae epistomiis vitreis paraffino fricatis clausae sint.

Sit liqvor limpidus, coloris expers vel subflavus, spissiusculus; cum Acidis sine fervore vehementi commisceri potest. Liqvor dilutus, Acido nitrico saturatus, Solutione Chloreti barici et Nitratis argentici mediocriter tantum turbetur. Partes centum (100) continent circiter partes viginti (20) Hydratis kalici.

Solutio Hydratis natrici.

Natronlud.

℞. Carbonatis natrici partes qvattuor;..... 4

solvantur in

Aqvae destillatae partibus qvindecim; 15

solutioni in lagenam immissae addatur

Oxydi calcici pars una,..... 1

antea exstincta

Aqvae destillatae partibus qvinqve ..... 5.

Mixtura in lagena probe obturata inter agitationem saepe repetitam digeratur, donec portiuncula exempta et filtrata cum Acido sulphurico sine fervore commisceri possit, deinde seponatur, ut turbantes partes subsidant. Liqvor limpidus siphone detrahatur et in lebete ferreo diligenter polito evaporetur, donec portiuncula exempta et refrigerata ponderis specifici sit = 1,215—1,219.

Sedimentum in lagena remanens cum

Aqvae destillatae partibus decem 10

conqvassetur, et, ubi turbantes partes subsederint, tractetur, ut supra expositum est. Liqvores collecti serventur in lagenis, qvae epistomiis vitreis paraffino fricatis clausae sint.

Sit liqvor limpidus coloris expers vel subflavus, Acidis additus gas mediocriter tantum evolvat. Liqvor, Acido nitrico saturatus, Solutione Chloreti barici et Nitratis argentici mediocriter tantum turbetur. Partes centum (100) continent circiter partes viginti (20) Hydratis natrici.

Solutio Jodi spirituosa.

Tinctura Jodi D. 50.

(Solutio Jodi spirituosa N. 54).

Jod-Draaber.

℞. Jodi partem unam;..... 1

per aliqvot dies cum

Spiritus concentrati partibus undeviginti 19

in lagena, epistomio vitreo clausa, inter qvassationem saepe repetitam maceretur, donec soluta sit. Solutio seponatur et decantetur, ut limpida sit. In lagena, epistomio vitreo probe clausa, servetur et dispensetur.

Aut ex tempore, aut exigua tantum copia paretur.

Sit limpida et e rubro fusca; aëri exposita omnino aufugiat.

Solutio Nitratis hydrargyrosi.

Liqvor Hydrargyri oxydulati nitrici, Liqvor Bellosti D. 50.
(Solutio Nitratis hydrargyrosi N. 54).

Opløst salpetersurt Qvægsølvforilte.

℞. Hydrargyri,

Acidi nitrici, singulorum partes aeqvales;

in patinam porcellaneam immissae loco frigido seponantur, qvamdiu crystalla orientur; deinde liqvor leniter calefiat, ut crystalla solvantur. Solutio ab Hydrargyro nondum soluto separata inter agitationem assiduam refrigeretur. Crystalla parva inde orta inter plagulas chartae bibulae, nullo calore adhibito, siccentur.

Horum crystallorum partes viginti 20

in mortario porcellaneo terantur cum

Acidi nitrici partibus tribus; 3

deinde addantur

Aqvae destillatae partes centum septuaginta septem 177.

Solutio parata filtretur et servetur loco obscuro in lagena probe clausa, in qvam parva copia Hydrargyri immissa sit.

Sit liqvor limpidus colorisqve expers; Solutione Hydratis calcici addita, sedimentum nigrum secernat. Postqvam Hydrargyrum, Solutione Chloreti natrici addita, plane secretum est, liqvor filtro separatus, addita Solutione Sulphidi hydrici, vix turbetur.

Nota. Qvinqve partes hujus Solutionis respondent qvattuor partibus Liqvoris Hydrargyri oxydulati nitrici, Ph. Dan. 1850.

Solutio Subacetatis ferrici.

Liqvor Ferri acetici D. 50.
(Solutio Subacetatis ferrici Sv. 45. Solutio Acetatis ferrici N. 54).

Eddikesure Jerndraaber.

℞. Solutionis Sulphatis ferrici partes viginti; 20

diluantur

Aqvae destillatae partibus sexaginta..... 60

et inter perpetuam agitationem immittantur in mixturam, paratam e

Solutionis Ammoniaci partibus viginti..... 20

et Aqvae destillatae partibus trecentis viginti ..... 320.

Sedimentum ortum in linteum distentum colligatur et Aqva destillata eluatur, donec liqvor defluens, Solutione Chloreti barici addita, non amplius turbetur; deinde expressione adeo Aqva adhaerenti liberetur, ut Oxydi ferrici humidi remanentis pondus sit octo fere partium. Haec massa comminuatur et in lagenam immittatur, deinde, affusis

Acidi acetici partibus sedecim,..... 16

inter agitationem saepius repetitam maceretur, donec paene omnia soluta sint; jam liqvor per aliqvod tempus sepositus limpide coletur, eiqve tanta copia Aqvae destillatae addatur, ut pondus liqvoris sit partium viginti qvinqve. In vase epistomio vitreo clauso et a luce remoto servetur.

Sit liqvor colore obscuro et e rubro fusco; Acido hydrochlorato acidulatus, Solutione Chloreti barici addita, ne turbetur. Pondus specificum sit = 1,134—1,138. Partes centum (100) continent circiter partes octo (8) Ferri vel paene 11,4 partes Oxydi ferrici.

Solutio Subacetatis ferrici spirituoso-aetherea.

Tinctura Ferri acetici aetherea D. 50.

(Solutio Subacetatis ferrici spirituoso-aetherea Sv. 45. Solutio Acetatis ferrosi aetherea N. 54).

Ætheriske eddikesure Jerndraaber.

℞. Aetheris acetici partes duas,..... 2

Spiritus concentrati partes tres,..... 3

Solutionis Subacetatis ferrici partes qvindecim ..... 15.

Misceantur. Solutio servetur in lagena, epistomio vitreo clausa, a luce remota.

Partes centum (100) continent Ferri partes sex (6).

Solutio Subacetatis plumbici.

Acetum saturninum (loco Extracti Saturni) D. 50.
(Solutio Subacetatis plumbici Sv. 45. Solutio Acetatis sesqviplumbici concentrata N. 54).

Blyeddike.

℞. Acetatis plumbici partes decem; 10
solvantur in

Aqvae destillatae calidae partibus qvadraginta sex; . 46
solutioni, in lagenam immissae, admisceantur

Oxydi plumbici calore Acido carbonico liberati partes tres ..... 3.

Mixtura inter agitationem saepe repetitam in lagena probe obturata digeratur, donec omne Oxydum plumbicum, parvo residuo albo excepto, solutum sit. Tum liqvor filtratus in lagena probe obturata servetur.

Sit liqvor limpidus colorisqve expers; chartam exploratoriam luteam fusco colore inficiat. Pondus specificum sit = 1,170—1,175.

Partes centum (100) continent partes viginti (20) Subacetatis plumbici.

Solutio Subacetatis plumbici diluta.

Aqva saturnina D. 50.
(Aqva Subacetatis plumbici Sv. 45).

Blyvand.

℞. Solutionis Subacetatis plumbici partem unam, ... 1
Spiritus diluti partes qvattuor, ... 4

Aqvae destillatae partes qvadraginta qvinqve; 45

conqvassentur et in vase diligenter clauso serventur.

Sit primo limpida, postea subturbida.

Solutio Sulphatis ferrici.

Opløst svovlsurt Jerntveilte.

℞. Aqvae destillatae partes qvattuor; 4

in patinam porcellaneam immittantur et caute admisceantur

Acidi sulphurici partes duae 2

et Acidi nitrici partes tres;..... 3

mixturae in balneo aqvae sepositae sensim addantur

Sulphatis ferrosi partes decem, ... 10

qva in re providendum erit, ut portiuncula prius addita effervescere desierit, anteqvam nova portiuncula addatur. Si, omni Sulphate ferroso addito, portiuncula exempta Aqva destillata diluta guttam Solutionis Hypermanganatis kalici decoloraverit, tanta copia Acidi nitrici instillanda erit, ut oxydatio perficiatur; qvo facto, liqvor evaporetur, donec siccus sit. Massae remanens resinae similis in

Aqvae destillatae partibus decem 10

solvatur; solutio filtrata Aqva diluatur, donec pondus sit partium viginti, et in vase vitreo probe obturato servetur.

Sit liqvor limpidus et colore fusco; pondus specificum sit = 1,395—1,405. Postqvam Oxydum ferricum Solutione Ammoniaci abundanti secretum est, liqvor filtro separatus, Solutione Sulphohydratis ammonici addita, ne coloretur. Partes centum (100) continent Ferri partes decem (10).

Solutio Tartratis kalici.

Liqvor Kali tartarici D. 50.

(Solutio Tartratis bikalici N. 54).

Opløst vinsurt Kali.

℞. Tartratis kalici partem unam, ... 1

Aqvae destillatae partes duas;..... 2

solvantur et filtrentur.

Sit liqvor limpidus colorisqve expers; pondus specificum sit 1,238—1,242.

Species fumales.

(N. 54).

Røgelse.

℞. Succini partes sexaginta, ... 60

Gummi-resinae Olibani partes centum viginti,..... 120

Resinae Benzoes partes centum octoginta;..... 180

misceantur, seorsum minutim contusae et pulvere subtiliore liberatae. Deinde admisceatur

Aetherolei Cedro,..... 1

Aetherolei Lavandulae, singulorum pars una..... 1.

In vase probe clauso serventur.

Species pro Cataplasmate emollienti.

Species emollientes D. 50.

(Sv. 45. N. 54).

Blødgjørende Urter.

℞. Herbae Malvae minutim concisae,..... 2

Herbae Meliloti minutim concisae,..... 2

Florum Chamomillae vulgaris minutim concisorum,... 2

Florum Sambuci minutim concisorum, singulorum partes duas,..... 2

Radicis Althaeae minutim concisae partes tres, ... 3

Seminis Lini contusi partes novem..... 9.

Misceantur.

Species pro Decocto Lignorum.

(Species Decocti Lignorum N. 54).

Urter til Træ-Dekokt.

℞. Fructus Foeniculi contusi partem unam, ... 1
Radicis Glycyrrhizae echinatae concisae partes tres, 3
Stipitum Dulcamarae concisorum partes sex,..... 6
Radicis Bardanae concisae,..... 10
Radicis Sassafras concisae, singulorum partes decem, 10
Ligni Guajaci raspati partes viginti ..... 20.

Misceantur.

Species pro Thea amara.

Thea amara D. 50.

Bitter The.

℞. Fructus Juniperi contusi, ... 1
Foliorum Menyanthis concisorum, ... 1
Foliorum Sennae concisorum, singulorum partem unam 1.

Misceantur.

Species pro Thea demulcenti.

Thea demulcens D. 50.

Slim-The.

℞. Fructus Foeniculi contusi, ... 1
Radicis Glycyrrhizae echinatae concisae, singulorum partem unam,..... 1
Radicis Althaeae concisae, ... 4
Seminis Lini contusi, singulorum partes qvattuor.... 4.

Misceantur.

Species pro Thea pectorali.

Species pro Infuso pectorali D. 50.
(Species pectorales Sv. 45. N. 54).

Bryst-The.

℞. Fructus Anisi stellati contusi partes duas, ... 2
Florum Verbasci concisorum, ... 3
Foliorum Farfarae concisorum, ... 3
Herbae Veronicae concisae, ... 3
Radicis Glycyrrhizae echinatae concisae, singulorum partes tres, ... 3
Florum Sambuci concisorum partes qvattuor, ... 4
Radicis Althaeae concisae partes septem ..... 7.
Misceantur.

Species pro Thea St. Germain.

St. Germain-The.

℞. Fructus Anisi contusi, ... 5
Fructus Foeniculi contusi, singulorum partes qvinqve, 5
Florum Sambuci concisorum partes decem, ... 10
Foliorum Sennae Spiritu extractorum concisorum partes sedecim. ..... 16.
Misceantur. In dispensando adde
Bitartratis kalici depurati venalis pulverati partes qvattuor 4.

Species resolventes.

(Sv. 45. N. 54).

Fordelende Urter.

℞. Herbae Absinthii concisae, ... 8
Herbae Origani concisae, ... 8
Foliorum Menthae piperitae concisorum, ... 8

Foliorum Melissae concisorum, singulorum partes octo, 8
Florum Chamomillae vulgaris concisorum, ... 3
Florum Lavandulae concisorum, singulorum partes tres, 3
Florum Sambuci concisorum partes duas ..... 2.

Misceantur.

Spiritus alcoholisatus.

Spiritus Vini alcoholisatus D. 50.

Alkoholiseret Vinaand.

℞. Spiritus concentrati partes qvattuor; 4

affundatur

Chloreti calcici ad siccitatem pulverulentam redacti pars una; 1

deinde per horas viginti qvattuor seponantur et saepe agitentur. Lenissimo calore adhibito in apparatu vitreo tanta copia destilletur, ut destillatum conqvassatum ponderis specifici sit = 0,812—0,815, vel centum partes, voluminis ratione habita, Alcoholis absoluti partes 96—95, ponderis ratione habita, partes 94—92 contineant. In vase, probe clauso, loco frigido servetur.

Sit limpidus colorisqve expers et, calore adhibito, prorsus volatilis, nullum odorem alienum relinqvens. Aqva destillata mixtus non lactescat. Ad chartam exploratoriam indifferens sit, Solutione Sulphidi hydrici addita ne turbetur.

Spiritus ammoniacatus anisatus.

Liqvor Ammonii anisatus, Spiritus Salis ammoniaci anisatus D. 50.
(Liqvor Ammoniaci anisatus Sv. 45).

Anisholdig Ammoniak-Spiritus.

℞. Aetherolei Anisi partem unam; 1

solvatur in

Spiritus concentrati partibus triginta duabus; 32

solutio conqvassetur cum

Solutionis Ammoniaci partibus septem ..... 7.

In vase, epistomio vitreo probe clauso, loco frigido servetur. Sit limpidus et subflavidus. Fervefactus omnino aufugiat.

Spiritus antiparalyticus.

Spiritus paralyticus D. 50.
(Spiritus antiparalyticus N. 54).

Spiritus mod Lamhed.

℞. Aetherolei Terebinthinae crudi, ... 1

Pyrolei Succini, singulorum partem unam; 1

conqvassentur primum cum

Spiritus camphorati partibus sedecim, ... 16

deinde cum

Liqvoris Supercarbonatis ammonici pyroleosi partibus tribus, ... 3

Solutionis Ammoniaci partibus qvattuor ..... 4.

In vase bene clauso loco frigido servetur. Ante dispensationem probe conqvassetur.

Sit turbidus, colore e fusco flavo, postea colore obscuriore.

Spiritus camphoratus.

Spiritus Vini camphoratus D. 50.
(Solutio Camphorae spirituosa Sv. 45. Solutio Camphorae alcoholica N. 54).

Kampher-Spiritus.

℞. Camphorae contusae partem unam; 1

solvatur in

Spiritus diluti partibus novem . . . . . 9.

Solutio filtrata in vase probe clauso loco frigido servetur.

Sit limpidus colorisqve expers.

Spiritus Cochleariae.

(Sv. 45. Spiritus Herbae Cochleariae N. 54).

Kochleare-Spiritus.

℞. Herbae florentis Cochleariae officinalis recentis contusae partes duas; 2

perfundantur

Spiritus diluti 1

et Aqvae communis, singulorum parte una; 1

hinc destillando eliciatur

pars una . . . . . 1.

Destillatum qvassatum in vase probe clauso loco frigido servetur.

Sit limpidus.

Spiritus concentratus.

Spiritus Vini rectificatissimus D. 50.

(Spiritus concentratus Sv. 45. Alcohol rectificatissimum N. 54).

Høist rektificeret Vinaand.

℞. Spiritus fortioris venalis (ponderis specifici 0,860—0,845) partes qvindecim; 15

per paucos dies cum

Carbonis Ligni nuper usti grosse pulverati parte una 1

in vase clauso inter qvassationem saepe repetitam macerentur; deinde decantentur et, lenissimo calore adhibito, destillentur, ut destillatum conqvassatum ponderis specifici sit = 0,830—0,834, vel centum partes, voluminis ratione habita, Alcoholis absoluti partes 91—90, ponderis ratione habita, partes 87—85 contineant. In vase probe clauso loco frigido servetur.

Eodem modo tentetur, qvo Spiritus alcoholisatus.

Spiritus dilutus.

Spiritus Vini rectificatus D. 50.
(Spiritus dilutus Sv. 45. Alcohol rectificatum N. 54).

Rektificeret Vinaand.

℞. Spiritus concentrati partes qvinqve;..... 5
conqvassentur cum
Aqvae destillatae partibus duabus..... 2.

In vase probe clauso loco frigido servetur. Pondus specificum sit = 0,890—0,894, vel partes centum, voluminis ratione habita, Alcoholis absoluti partes 70—68, ponderis ratione habita, partes 62—60 contineant.

Eodem modo tentetur, qvo Spiritus alcoholisatus.

Spiritus Lavandulae.

Spiritus Lavendulae D. 50.
(Spiritus Lavendulae Sv. 45).

Lavendel-Spiritus.

℞. Florum Lavandulae concisorum partem unam;..... 1
per unum diem maceretur cum
Spiritus diluti..... 4
et Aqvae communis, singulorum partibus qvattuor;.... 4
deinde destillentur
partes qvattuor,..... 4
qvae probe qvassatae in vase bene clauso loco frigido servandae sunt.

Sit limpidus, Aqva mixtus lactescat.

Spiritus Saponis camphoratus.

Spiritus saponatus, Balsamum Saponis D. 50.
(Solutio Saponis alcoholica N. 54).

Sæbe-Spiritus.

℞. Saponis albi oleacei rasi partes viginti;..... 20

solvantur maceratione inter agitationem saepe repetitam

in Spiritus diluti partibus centum 100

et colentur. In liqvore solvantur

Camphorae contusae partes tres,..... 3

qvo facto, admisceatur

Aetherolei Rosmarini, ... 1

Aetherolei Thymi, singulorum pars una..... 1.

Solutio filtrata in vase probe clauso loco non nimis frigido servetur.

Sit limpidus, colore e subfusco flavo.

Spiritus tenuis.

(Spiritus Frumenti depuratus Sv. 45. Alcohol tenue N. 54).

Svag Spiritus.

℞. Spiritus concentrati partes qvattuor,..... 4

Aqvae destillatae partes qvinqve; 5

misceantur et in vase clauso serventur. Pondus specificum sit = 0,940—0,942, vel partes centum, voluminis ratione habita. Alcoholis absoluti partes 46—45, ponderis ratione habita, partes 39—38 contineant.

Eodem modo tentetur, qvo Spiritus alcoholisatus.

Spiritus vulnerarius.

Aqva sclopetaria spirituosa D. 50.

Arqvebusade-Vand.

℞. Herbae Absinthii concisae, ... 16

Florum Lavandulae concisorum, ... 16

Foliorum Menthae piperitae concisorum, singulorum partes sedecim,..... 16

Aetherolei Rosmarini partem unam;..... 1

macerentur per unum diem cum

Spiritus diluti..... 300
et Aqvae communis, singulorum partibus trecentis;... 300
deinde destillentur
partes qvadringentae, ... 400
qvae probe qvassatae in vase probe clauso servandae sunt.

Sit primo turbidus, postea paene limpidus, odore aromatico.

Spongia cerata.

(Sv. 45. N. 54).

Vox-Svamp.

Spongia marina contextus subtilioris ab omnibus corpusculis alienis purgetur, deinde siccetur et Cerae flavae liqvefactae immergatur, donec bullae non amplius inde oriantur. Adhuc calida inter laminas calidas fortiter comprimatur; post refrigerationem e laminis eximatur et Cera supervacanea adhaerenti liberetur.

Spongia marina.

(Sv. 45. Spongia officinalis N. 54).

Vadskesvamp.

Spongia officinalis L.

Adhibeantur molles, subflavae, foraminibus parvis instructae, a concrementis lapideis arenaqve purgatae.

Stigmata Croci.

Crocus D. 50.

(Croci orientalis Stigmata Sv. 45. Stigmata Croci sativi N. 54).

Safran.

Crocus sativus L.

Stigmata siccata, tria circiter centimetra longa, tubulata, subcanaliculato-compressa, sursum sensim dilatata, crispa, auran-

tiaca, stilis luteis et brevissimis saepissime insidentia. Sint odore fragrantissimo, sapore aromatico; in charta maculas ex adipe ortas ne relinqvant, manducata salivam colore e rubro flavo inficiant. Serventur in vase probe obturato, a luce remota.

Stipites Dulcamarae.

(Dulcamarae Stipites Sv. 45 Stipites Solani Dulcamarae N. 54).

Bittersød.

Solanum Dulcamara L.

Stipites et rami flexuosi, interdum torti, qvattuor vel octo millimetra crassi, obsolete qvinqvanguli, nodis alternis instructi, plus minusve verrucosi, in longitudinem striati vel sulcati, plerumqve cavi, peridermate subviridi vel e subfusco flavo, a cortice tenui, primo viridi, postea albo, facile separabili; ligno primo viridi, postea subflavo, valde poroso, anulis concentricis saepe praedito; cortex sapore est amaro, lignum sapore dulci.

Colligendi sunt primo vere ante tempus florescendi aut autumno, postqvam folia deciderunt, neqve confundendi cum stipitibus Lonicerae Periclymeni L., cylindricis nodisqve oppositis instructis.

Strychnina.

Strychninum D. 50.

(Strychnina Sv. 45. Strychninum N. 54)

Strychnin.

Crystalla parva, coloris expertia, sapore peramaro; in Aqva, Alcohole, Aethere vix solvantur, in Spiritu diluto et Chloroformio satis facile solvantur, in Acidis dilutis facile solvantur. Haec solutio, addita Solutione Hydratis natrici, sedimentum praebeat album, qvod in praecipitanti liqvore abundanti solvi non possit. In Acido nitrico solvantur neve rubro colore tingantur; candefacta sine residuo deflagrent.

Serventur in vase vitreo probe obturato.

Subnitras bismuthicus.

Bismuthum nitricum praecipitatum, Magisterium Bismuthi D. 50. (Subnitras bismuthicus Sv. 45. Subnitras bismuthicus crystallisatus N. 54).

Basisk salpetersurt Vismuthilte.

℞. Bismuthi venalis partes sedecim; 16

immittantur in crucibulum hassiacum, in qvo leni calore liqvefiant, deinde addatur

Nitratis kalici pars una;..... 1

hac qvoqve liqvata, mixtura, calore qvam lenissimo adhibito, per unam fere horam liqvefacta maneat, dum massa liqvida bacillo vitreo subinde agitetur. Tum metallum liqvefactum effundatur et scoriis liberatum, aeqva copia Nitratis kalici adhibita, iterum eodem modo tractetur. Bismuthi hac ratione purgati partes duae grosse pulveratae in cucurbitam, in qva insint

Acidi nitrici partes novem,..... 9

sensim ingerantur. In metallo addendo prospiciendum erit, ne qva pars ante addatur, qvam pars prius addita paene soluta sit, et sub finem operationis vis Acidi ope balnei aqvae augenda erit. Omnibus praeter parvam copiam pulveris cani solutis, solutio

Aqvae destillatae partibus qvattuor 4

diluatur et filtretur. Filtrato inter perpetuam agitationem

Aqvae destillatae 60° calidae partes nonaginta sex . 96

sensim affundantur. Mixtura lactea per aliqvot horas subinde agitetur, deinde seponatur, ut refrigeretur. Tum liqvor sedimento innatans defundatur, sed sedimentum in linteum densum distentum colligatur, deinde parva copia Aqvae destillatae eluatur, et in charta bibula, calore 50° non excedente, siccetur. Praeparatum siccatum in vase probe clauso servetur. Liqvor a sedimento separatus continet haud parvam copiam Bismuthi soluti, qvod, Chloreto natrico addito, secerni potest; sedimentum ortum in Acido hydrochlorato solvatur, et ex hac

solutione Bismuthum, Ferro aut Zinco addito, metallice separari potest.

Sit pulvis albus, subtilis, crystallinus, in Acido nitrico sine fervore solubilis; solutio Solutione Nitratis argentici vel Acido sulphurico diluto ne turbetur. Si unum gramma pulveris cum Solutione Hydratis natrici diluta et abundanti coxeris, liqvor filtro separatus et parva copia Solutionis Sulphohydratis ammonici mixtus, tum rursus filtratus, deinde Acido hydrochlorato acidulatus praecipitatum flavum ne secernat, licet per aliqvod tempus in vase vitreo obturato sepositus fuerit.

Succinum.

(Succinum flavum Sv. 45).

Rav.

Frusta flava vel e flavo fusca, plus minusve pellucida, opaca, fragilia, fractura conchata et vitri instar nitenti, in Aqva, Spiritu, Aethere, Oleis, Aetheroleisqve prorsus vel paene indissolubilia.

Succus Sambuci inspissatus.

Rob Sambuci D. 50.

(Syrupus Sambuci Sv. 45).

Tyk Hylde-Saft.

℞. Fructus recentis Sambuci nigrae ..... q. v.

Leni calore adhibito, inter perpetuam agitationem calefiat, donec dirumpatur; tum succus expressus seponatur, ut turbantes partes subsidant, et coletur. In

hujus succi partibus qvattuor 4

solvatur

Sacchari albi pars una; 1

deinde solutio leni igne ad consistentiam mellis recentis redigatur. Post refrigerationem in vase clauso servetur.

Sit colore e violaceo fusco, sapore dulci et subacido; cum Aqva solutionem paullum turbidam praebeat.

Sulphas aluminico-kalicus.

Alumen crudum s. vulgare D. 50.

(Sv. 45. Sulphas aluminico-kalicus crystallisatus N. 54).

Alun.

Crystalla coloris expertia, subpellucida, subfatiscentia, sapore subdulci et adstringenti, in Aqvae frigidae partibus circiter sedecim et Aqvae bullientis partibus aeqvis solubilia. Solutio aqvosa sit reactione acida et, Solutione Ammoniaci addita, praecipitetur sub forma gelatinae, qvae in Solutione Hydratis natrici excedenti plane solvatur; Solutio aqvosa, addita Solutione Sulphidi hydrici, ne coloretur; addita Solutione Sulphohydratis ammonici, mediocriter coloretur.

Sulphas aluminico-kalicus siccatus.

Alumen ustum D. 50.

(Sv. 45. Sulphas aluminico-kalicus siccus N. 54).

Brændt Alun.

℞. Sulphatis aluminico-kalici contusi..... q. v.; in olla fictili non vitreata et tecta, calore circiter ad 200° sensim aucto, calefiat, donec aqva, qvae inest, aufugerit, et massa levis, alba, spongiosa orta sit, qvae in vase clauso loco sicco servetur.

In Aqva plane, sed lente solvatur.

Sulphas atropicus.

Svovlsurt Atropin.

Crystalla subtilia, tenuia, nitida, in aëre permanentia, calefacta sine residuo deflagrantia, aut saepius pulvis albus et

amorphus. In Aqva et Spiritu facile solvantur, chartam exploratoriam ne mutent. In Aqvae partibus mille soluta pupillam dilatent. Solutio concentrata, addita Solutione Carbonatis natrici, praebeat praecipitatum album, in liqvore praecipitanti, abunde addito, facile solubile. — Solutio unius partis in partibus ducentis Aqvae alkalibus ne mutetur. In vase probe obturato servetur.

Sulphas calcicus ustus.

Brændt Gyps.

Pulvis albidus, qvi Aqva mixtus pultem densam, mox durescentem praebeat. In Aqva difficulter solvitur, neqve multo facilius Acidis additis. In vase probe clauso servetur.

Sulphas chinicus.

Chininum sulphuricum D. 50.

(Sulphas Qvinicus Sv. 45. Sulphas chininicus crystallisatus N. 54).

Svovlsurt Chinin.

$$\overset{+}{Ch^2}, SO^3 + 8\ HO.$$

Crystalla parva, tenuia, nivea, sapore peramaro, in Aqvae frigidae partibus octingentis, bullientis partibus triginta, in Spiritus partibus sexaginta dissolubilia; in Aethere difficillime solvuntur. In Aqva, parvam partem Acidi sulphurici continenti, facile solvantur, coloremqve subcaeruleum Aqvae impertiant; qvae solutio, addita Solutione Ammoniaci, sedimentum in Aethere solubile praebeat. Crystalla, Acido sulphurico addito, in frigore vix colorentur, ignita prorsus aufugiant. In vase probe clauso serventur.

Sulphas cuprico-ammoniacus.

Cuprum sulphuricum ammoniatum, Cuprum ammoniatum D. 50.
(Sulphas cupricus ammoniacalis Sv. 45. Sulphas cuprico-ammoniacus crystallisatus N. 54).

Basisk svovlsurt Kobbertveilte-Ammoniak.

℞. Sulphatis cuprici triti partem unam; 1

in lagenam clausam immissa solvatur in

Solutionis Ammoniaci partibus tribus; 3

solutioni filtratae admisceantur

Spiritus concentrati partes sex ..... 6.

Pulvis crystallinus secretus in filtrum colligatur, tum in charta bibula, nullo calore adhibito, celeriter siccetur et in vase vitreo probe clauso servetur.

Sit pulvis obscure caeruleus, crystallinus, in aëre facile fatiscens; in Aqvae parte una et dimidia plane solvatur; solutio, addita Solutione Hydratis natrici, acrem odorem ammoniacalem spargat.

Sulphas cupricus.

Cuprum sulphuricum purum, Vitriolum Cupri D. 50.
(Sulphas cupricus crystallisatus N. 54).

Svovlsurt Kobbertveilte.

℞. Cupri raspati partes qvinqve; 5

immittantur in cucurbitam, in qva insit mixtura caute parata ex

Aqvae destillatae partibus triginta, ... 30

Acidi sulphurici partibus octo, ... 8

Acidi nitrici partibus decem ..... 10.

Mixtura initio leniter calefiat, postea vehementius, ut bulliat, donec explicatio gasis plane desierit. Solutio parata in patina porcellanea evaporetur, donec sicca sit; sal siccus in copia qvadruplici Aqvae destillatae solvatur, deinde filtretur et ad

crystallisationem evaporetur. Crystalla parata, nullo calore adhibito, in aëre siccentur, tum in vase clauso serventur.

Sint crystalla cyanea, diaphana, in aëre subfatiscentia, in Aqvae partibus tribus et dimidia, bullientis partibus aeqvis solubilia; solutio, cum Solutione Ammoniaci abundanti commixta, liqvorem plane limpidum et obscure caeruleum praebeat. Ubi Cuprum, gase Sulphidi hydrici adducto, secretum est, liqvor limpide filtratus sine residuo evaporari potest.

Sulphas ferrosus.

Ferrum sulphuricum crystallisatum, Vitriolum Martis purum D. 50. (Sulphas ferrosus Sv. 45. Sulphas ferrosus crystallisatus N. 54).

Svovlsurt Jernforilte.

℞. Aqvae destillatae partes ducentas qvadraginta;... 240

in cucurbitam aptam immittantur, et caute admisceantur

Acidi sulphurici crudi partes sexaginta;..... 60

tum sensim addantur

Ferri in filis seu ramentis partes qvadraginta .... 40.

Qvum, omni Ferro addito, vis Acidi minui coeperit, cucurbita in balneo aqvae calefiat, donec explicatio gasis prorsus desierit. Solutio parata filtretur, tum admixta

Acidi sulphurici parte una, ... 1

inter perpetuam agitationem refrigeretur. Farina crystallina orta in infundibulum colligatur et tanta copia Spiritus abluatur, ut lixivia plane removeatur; tum, leni calore adhibito, in charta bibula siccetur, qvo facto, in vase probe clauso servetur. E lixivia remanenti, evaporatione facta, plura crystalla parari possunt.

Sit pulvis crystallinus, pulcher, clarus, e subcaeruleo viridis, siccus; in Aqvae partibus duabus, bullientis partibus aeqvis solvatur, in Spiritu ne solvatur. Solutio, Acido hydrochlorato acidulata, Solutione Sulphidi hydrici addita, ne turbetur.

Sulphas ferrosus siccatus.

Tørret, svovlsurt Jernforilte.

℞. Sulphatis ferrosi partes qvinqve; 5

per chartam ita spargantur, ut tenue stratum exhibeatur, tum, calore 40⁰—50⁰ adhibito, in furno inter agitationem saepe repetitam seponantur, donec in pulverem album dilabantur. Hic pulvis, in patinam porcellaneam immissus, in balneo aqvae calefiat, donec tres fere partes remaneant; deinde in vas ingeratur, in qvo probe clauso servetur.

Sit pulvis albidus, qvi in Aqva solvi possit.

Sulphas kalicus.

Kali sulphuricum depuratum s. Arcanum duplicatum s. Tartarus vitriolatus D. 50.

(Sulphas kalicus Sv. 45. N. 54).

Svovlsurt Kali.

Crystalla dura et in aëre permanentia vel plerumqve crustae crystallinae cohaerentes, ad chartam exploratoriam indifferentes, in Aqvae partibus novem, bullientis partibus qvattuor solubiles. Solutio neve Solutione Carbonatis kalici neve Solutione Sulphidi hydrici turbetur.

Sulphas magnesicus.

Magnesia sulphurica pura s. Sal anglicum purum s. Sal catharticum amarum D. 50.

(Sal catharticum vel anglicum vel Sedlicense Sv. 45. Sulphas mangnesicus crystallisatus N. 54).

Svovlsur Magnesia, engelsk Salt.

Crystalla parva, nitentia, subfatiscentia, ad chartam exploratoriam indifferentia, in Aqvae partibus duabus, bullientis parte una solubilia. Solutio Solutione Sulphidi hydrici ne

mutetur. Una parte cum partibus tribus Carbonatis barici et Aqva cocta, filtratum reactionem alkalinam ne praebeat.

Sulphas natricus.

Natrum sulphuricum s. Sal mirabile Glauberi D. 50.
(Sal Glauberi v. Alkali minerale vitriolatum Sv. 45. Sulphas natricus crystallisatus N. 54).

Svovlsurt Natron, Glaubersalt.

Crystalla diaphana, sicco aëre facile fatiscentia, calore deliqvescentia, in Aqvae partibus tribus, in Aqvae ad 33° calefactae parte tertia, in Aqvae ad 100° calefactae duabus qvintis partibus solubilia. Solutio ad chartam exploratoriam indifferens sit; Solutione Sulphidi hydrici vel Sulphohydratis ammonici ne turbetur, Solutione Nitratis argentici modo mediocriter turbetur.

Sulphas natricus siccatus.

Natrum sulphuricum depuratum siccatum D. 50.
(Sulphas natricus siccus N. 54).

Tørret, svovlsurt Natron.

Sulphas natricus in pulverem grossum teratur et opertus loco tepido seponatur, donec circiter dimidiam partem ponderis amiserit. Pulvis omnino siccus per cribrum trajiciatur et in vase probe clauso servetur.

Hic pulvis dispensetur, si Sulphas natricus pulveratus postulatus erit.

Sulphas zincicus.

Zincum sulphuricum, Vitriolum album purum D. 50.
(Sulphas zincicus Sv. 45. Sulphas zincicus crystallisatus N. 54).

Svovlsurt Zinkilte.

℞. Aqvae destillatae partes viginti; 20

in patinam porcellaneam immittantur et caute admisceantur

Acidi sulphurici partes qvinqve;..... 5

tum addantur

Oxydi zincici venalis partes qvattuor..... 4.

Mixtura in balneo aqvae calefiat, donec Oxydum zincicum non amplius solvatur, deinde cum frustis aliqvot Zinci politi per nonnullas horas digeratur, qvo facto, filtretur et ad crystallisationem evaporetur. E lixivia remanenti, evaporatione continuata, plura crystalla comparari possunt. Crystalla collecta, nullo calore adhibito, siccentur et in vase probe obturato serventur.

Sint crystalla coloris expertia, aëre calido subfatiscentia, in aeqvis partibus Aqvae solubilia; solutio, addita Solutione Sulphidi hydrici, colore fusco ne tingatur; Solutione Sulphohydratis ammonici addita, sedimentum album oriatur.

Sulphidum stibicum.

Sulphur stibiatum aurantiacum, Sulphur auratum Antimonii D. 50. (Sulphidum stibicum Sv. 45. N. 54).

Pommeransfarvet Svovlspydglands.

℞. Solutionis Hydratis natrici partes centum octo;... 108

in cucurbitam immissae diluantur

Aqvae destillatae partibus qvinqvaginta qvattuor; . 54

tum admisceantur

Sulphuris sublimati partes qvindecim..... 15.

Cucurbita inter qvassationem saepe repetitam in balneo arenae calefiat. Omni Sulphure soluto, addantur

Sulphureti stibici laevigati partes viginti; 20

deinde liqvor calefiat, donec bulliat, et, inter qvassationem saepe repetitam per qvartam partem horae coctus, filtretur; filtratum ad crystallisationem loco obscuro seponatur. Crystalla orta separentur et Aqva destillata, parva copia Solutionis Hydratis natrici admixta, abluantur. E lixivia remanenti, ad dimidiam partem evaporata, plura crystalla com-

parari possunt, qvae illa ratione, qvam supra exposuimus, abluantur.

Crystallorum collectorum, inter chartam bibulam expressorum,

partes viginti qvinqve..... 25

solvantur in

Aqvae destillatae partibus centum;..... 100

solutio filtrata,

Aqvae destillatae partibus centum qvinqvaginta... 150

diluta, inter perpetuam agitationem in mixturam refrigeratam, ex

Acidi sulphurici partibus octo..... 8

et Aqvae destillatae partibus centum qvinqvaginta... 150

paratam, infundatur. Sedimentum ortum Aqva destillata eluatur, donec liqvor defluens reactionem acidam non praebeat, tum in solutionem frigidam, paratam e

Bicarbonatis natrici partibus duabus..... 2

et Aqvae destillatae partibus qvadraginta,..... 40

immissum per duos dies maceretur. Deinde sedimentum in filtrum colligatur, in qvo prorsus eluatur, tum inter plagulas chartae bibulae expressum loco obscuro et tepido siccetur et in pulverem subtilissimum teratur, qvi in vase, probe clauso, a luce remoto servetur.

Sit pulvis subtilissimus, colore aurantiaco, odoris expers, in Aqva et Spiritu indissolubilis. Solutio frigida e Bicarbonate natrico parata, cum pulvere digesta et filtrata, addito Acido hydrochlorato abundanti, ne turbetur.

Sulphur praecipitatum.

(Lac sulphuris).

(Sulphur praecipitatum Sv. 45. N. 54).

Svovlmælk.

℞. Oxydi calcici partes decem;..... 10

in lebetem ferreum amplum immittantur et exstingvantur

Aqvae communis partibus sexaginta; 60

tum admisceantur

Sulphuris sublimati partes viginti qvattuor 24

et Aqvae communis partes ducentae qvadraginta .... 240.

Mixtura parata inter perpetuam agitationem per horam coqvatur, dum Aqva evaporata subinde restituatur, tum per manicam linteam coletur. Residuum e manica exemptum per horam dimidiam cum

Aqvae communis partibus centum qvinqvaginta ... 150

coqvatur, tum hoc et ipsum coletur. Liqvores parati statim infundantur in lagenas aptas, qvae probe obturatae per aliqvod tempus seponantur; tum liqvor limpidus defundatur et residuum in vas lapideum aptum filtretur, qvo facto, tanta copia Aqvae destillatae utriqve liqvori admisceatur, ut totum pondus sit partium qvingentarum (500).

Huic liqvori mixtura, parata ex

Acidi hydrochlorati partibus triginta 30

et Aqvae destillatae partibus sexaginta, ... 60

inter perpetuam agitationem sensim affundatur, aut tanta pars hujus mixturae, ut liqvor reactionem alkalinam debilem prodat. Sedimento demisso, liqvor innatans celeriter defundatur, sedimentum autem Aqva destillata aliqvoties eluatur. Sulphur praecipitatum, si Ferrum continet, post ablutionem in mixtura, parata ex

Acidi hydrochlorati partibus tribus..... 3

et Aqvae destillatae partibus duodecim..... 12

terendum est. Tum mixtura, per aliqvod tempus seposita, in sacculum linteum ingeratur, qvo facto, Sulphur, Aqva destillata plane elutum, calore 25° vel 35° adhibito, caute siccetur et subtiliter tritum in vase probe obturato servetur. Sulphur praecipitatum, si Ferro vacat, statim elui potest, neqve opus est prius Acidum adhibere.

Sit pulvis subtilissimus, colore pallide flavo, odoris paene expers; ignitus, nullo residuo relicto, deflagret; chartam ex-

ploratoriam caeruleam humectatam colore rubro ne tingat. Aqva, Acidum hydrochloratum vel Solutio Ammoniaci cum pulvere digesta et filtrata, nullo residuo relicto, evaporari possunt.

Sulphur sublimatum.

Sulphur depuratum lotum, Flores Sulphuris loti D. 50.
(Sulphur sublimatum elotum Sv. 45. Sulphur sublimatum N. 54).

Svovlblomme.

℞. Sulphuris sublimati venalis..... q. v.; teratur cum Aqvae destillatae parte sufficienti, cui duodecima pars ($\frac{1}{12}$) Solutionis Ammoniaci admixta sit, et per biduum digeratur; deinde Aqva destillata bene eluatur; tum siccatum et per cribrum trajectum in vase probe clauso loco sicco servetur.

Sit pulvis subtilis, flavus, siccus, in Aqva et Spiritu indissolubilis; chartam exploratoriam coeruleam humectatam ne mutet; satis candefactus, nullo residuo relicto, deflagret; in Solutione Hydratis natrici plane solvatur. Solutio Ammoniaci cum pulvere digesta et filtrata, addito Acido hydrochlorato abundanti, praecipitatum ne exhibeat.

Sulphur sublimatum venale.

Sulphur depuratum seu Flores Sulphuris D. 50.
(Flores Sulphuris Sv. 45).

Almindelig Svovlblomme.

Pulvis subtilis, flavus, plerumqve submadidus, saepissime reactione subacida, odore debili et peculiari.

Sulphuretum stibicum.

Stibium sulphuratum nigrum purum D. 50.
(Antimonium crudum Sv. 45. Sulphuretum stibicum crystallisatum N. 54).

Sort Svovlspydglands.

Frusta ponderosa, e nigro cinerea, nitida, inqvinantia, textura radianti et crystallina; subtiliter pulverata, calore ad-

hibito, in Acido hydrochlorato maxima ex parte solvantur. Haec Solutio, Gase Sulphidi hydrici extricato et Aqva addita, praecipitatum peralbum secernat, qvod in Solutione Hydratis natrici abundanti plane solvi possit. Si una pars pulveris cum qvattuor partibus Nitratis natrici commixtum erit et in patina porcellanea caute detonuerit, liqvor elixiviatione residui albi remanentis paratus et filtratus, postqvam Acido nitrico accurate saturatus erit, addita Solutione Nitratis argentici, praecipitatum e rubro fuscum ne praebeat.

Sulphuretum stibicum laevigatum.

Stibium sulphuratum nigrum laevigatum D. 50.
(Sulphuretum stibicum praeparatum Sv. 45).

Præpareret sort Svovlspydglands.

Sulphuretum stibicum in mortario ferreo pulveretur et in porphyrite, justa copia Aqvae addita, teratur, donec omnes particulae nitentes evanuerint. Massa laevigata loco calido siccetur et, in pulverem redacta, in vase probe obturato servetur.

Supercarbonas ammonicus.

Ammonium carbonicum depuratum D. 50.
(Ammoniacum carbonicum vel Sal volatile Sv. 45. Sesqvicarbonas ammonicus N. 54).

Kulsur Ammoniak.

Massae albae, pellucidae, crystallinae, in superficie pulvere albo leviter tectae, odorem ammoniacalem, non empyreumaticum magnopere spargentes, in Aqvae partibus qvattuor vel qvinqve solubiles, Acidis valde effervescentes, calore aucto plane volatiles. Solutio, Acido acetico supersaturata, Solutione Nitratis argentici mediocriter turbetur, sed Solutione Sulphidi hydrici, Chloreti barici vel Oxalatis ammonici ne turbetur.

Supercarbonas ammonicus pyroleosus.

Ammonium carbonicum pyro-oleosum, Sal volatilis Cornus Cervi D. 50.

(Sal Cornus Cervi Sv. 45. Sesqvicarbonas ammonicus pyro-oleosus N. 54).

Hjortetaksalt.

℞. Supercarbonatis ammonici partes undetriginta;..... 29

in pulverem terantur, qvo facto, sensim admisceatur

Pyrolei animalis pars una ..... 1.

Paretur ex tempore.

Sit pulvis albus; in Aqva solutus solutionem paene limpidam colorisqve expertem vel subflavam praebeat. Odore sit valde empyreumatico.

Ceterum eodem modo tentetur, qvo Supercarbonas ammonicus.

Superoxydum manganicum.

Manganum oxydatum nativum D. 50.

(Magnesium nigrum Sv. 45. Superoxydum manganicum N. 54).

Brunsten.

Massae ponderosae, e nigro cinereae, crystallinae vel compactae, metallice splendentes, inqvinantes, fragiles, cum Acido hydrochlorato calefactae Chlorum emittentes.

Syrupi.

Nisi alia parandi ratio praescripta est, liqvor limpidus, in qvo Saccharum albissimum comminutum solutum sit, ebulliat et adhuc calidus coletur. Syrupus refrigeratus immittatur in vas diligenter siccatum, qvod probe clausum loco frigido servetur. Omnes Syrupi sint limpidi, excepto Syrupo Amygdalarum.

Syrupus Althaeae.

(Sv. 45 Syrupus Radicis Althaeae N. 54).

Althæa-Sirup.

℞. Radicis Althaeae minutim concisae partem unam; . . 1

maceretur inter agitationem saepe repetitam per aliqvot horas cum tanta copia.

Aqvae communis,

ut, colatione sine expressione facta, ubi turbantes partes subsederint,

partes qvindecim, ... 15

decantari possint; ex his, additis

Sacchari albi partibus viginti qvinqve, ... 25

Syrupus paretur.

Sit permucilaginosus colorisqve expers vel colore subflavido.

Syrupus Amygdalarum.

(Sv. 45).

Mandel-Sirup.

℞. Amygdalarum dulcium excorticatarum partes qvinqve, 5

Amygdalarum amararum excorticatarum partem unam, ... 1

qvibus cum parva copia Aqvae destillatae in pultem tenuem et homogeneam contusis sensim addantur

Aqvae Rosae partes duodecim, ... 12

Aqvae Aurantii triplicis venalis pars una; 1

deinde, forti expressione adhibita, fiat colatio. In

hujus liqvoris partibus undecim, ... 11

calore lenissimo adhibito,

Sacchari albi contusi partes viginti 20

solvantur; tum fiat colatio. Servetur in lagenis perparvis.

Sit non plane pellucidus et colore albido; Aqva mixtus liqvorem lacteum praebeat.

Nota. Ante dispensationem conqvassetur.

Syrupus Aurantii.

Syrupus Corticum Aurantiorum D. 50.

(Syrupus Aurantii Sv. 45).

Pommeransskal-Sirup.

℞. Corticis Fructus Aurantii minutim concisi partes octo; 8

immittantur in tantam copiam

Aqvae communis bullientis,

ut post digestionem horarum viginti qvattuor, inter qvam liqvor saepe agitetur, expressione facta, ubi turbantes partes liqvoris sepositi subsederint, et colatio facta sit,

partes viginti septem 27

decantari possint; ex his, additis

Sacchari albi partibus duodeqvinqvaginta, ... 48

Syrupus paretur.

Sit colore e flavo fusco.

Syrupus Cerasi.

Syrupus Cerasorum D. 50.

(Sv. 45. Syrupus Fructuum Cerasi N. 54).

Kirsebær-Sirup.

℞. Fructus Pruni Cerasi varietatis austerae recentis cum nucleis ..... q. v.;

contunde et sepone, ut fermentetur, in temperatura 20°—25° per tres fere dies, vel donec explicatio gasis desinat. Deinde succus expressus ebulliat et filtretur. Ex

Succi filtrati partibus qvinqve, ... 5

additis

Sacchari albi partibus octo, ... 8

Syrupus paretur.

Sit colore obscure purpureo.

Syrupus Fructus Papaveris.

Syrupus Diacodii, Syrupus Capitum Papaveris D. 50.
(Syrupus Fructuum Papaveris somniferi N. 54).

Valmue-Sirup.

℞. Fructus Papaveris seminibus liberati et minutim concisi partes sex, ... 6

Radicis Glycyrrhizae echinatae minutim concisae partes duas; 2

immittantur in tantam copiam

Aqvae communis bullientis,

ut post digestionem horarum viginti qvattuor, inter qvam liqvor saepe agitetur, expressione facta, ubi turbantes partes liqvoris sepositi subsederint, et colatio facta sit,

partes viginti septem 27

decantari possint; ex his, additis

Sacchari albi partibus duodeqvinqvaginta, ... 48

Syrupus paretur.

Sit colore e flavo fusco.

Syrupus Jodeti ferrosi.

Syrupus Ferri jodati D. 50.
(Solutio Jodeti ferrosi saccharata N. 54).

Jodjern-Sirup.

℞. Ferri pulverati partes qvindecim; 15

immittantur in vas vitreum satis amplum, in qvo insint

Aqvae destillatae partes centum viginti; 120

inter perpetuam agitationem sensim addantur

Jodi partes qvadraginta una, ... 41

donec solutio viridis orta sit. Haec solutio per filtrum parvum celeriter transmittatur, et filtrum cum Ferro adhaerescenti tanta copia

Aqvae destillatae

eluatur, ut filtrata collecta efficiant

partes centum nonaginta ..... 190.

In his, in patinam ferream immissis, solvantur

Sacchari albi partes trecentae viginti, ... 320

qvae solutio, calore lenissimo adhibito, ad

partes qvingentas 500

evaporetur et servetur in lagenis parvis, antea calefactis epistomiisqve vitreis clausis.

Recens paratus coloris expers et limpidus est, sed paullatim superficies colore obscuro tingitur; jam qvassatus colorem subflavum induit. Hac forma Syrupum dispensare licet, si, addita Aqva destillata, solutionem limpidam et mediocriter tantum coloratam praebeat.

Partes decem (10) continent partem unam (1) Jodeti ferrosi.

Nota. Partes qvinqve respondent circiter qvattuor partibus Syrupi Ferri jodati, Ph. Dan. 1850.

Syrupus Mori.

Syrupus Mororum D. 50.

Morbær-Sirup.

E Fructu Mori nigrae recenti eodem modo paretur, qvo Syrupus Cerasi.

Sit colore laete purpureo.

Syrupus Rhei.

(Sv. 45. Syrupus Radicis Rheorum compositus N. 54).

Rhabarber-Sirup.

℞. Radicis Rhei in taleolas tenuissimas concisae et pulvere liberatae partes sedecim, ... 16

Carbonatis kalici partem unam; 1

inter agitationem saepe repetitam macerentur per duodecim horas cum tanta copia

Aqvae destillatae,

ut, colatione facta, ubi turbantes partes liqvoris sepositi subsederint,

partes octoginta..... 80

decantari possint; ex his, additis

Sacchari albi partibus centum qvadraginta qvinqve, 145

Syrupus paretur.

Sit colore e fusco rubro.

Syrupus Rhoeados.

Syrupus Papaveris Rhoeados D. 50.

Kornvalmue-Sirup.

℞. Florum Rhoeados minutim concisorum partes tres; 3

affundatur tanta copia

Aqvae communis bullientis,

ut, post macerationem horarum duodecim, inter qvam liqvor saepe agitetur, colatione facta, ubi turbantes partes liqvoris sepositi subsederint,

partes duodeviginti 18

decantari possint; ex his, additis

Sacchari albi partibus triginta duabus, ... 32

Syrupus paretur.

Sit colore saturate rubro.

Syrupus Rubi idaei.

(Sv. 45. Syrupus Fructuum Rubi idaei N. 54).

Hindbær-Sirup.

E Fructu Rubi idaei recenti eodem modo paretur, qvo Syrupus Cerasi.

Sit colore rubro.

Syrupus Sacchari.

Syrupus simplex D. 50.

(Syrupus Sacchari Sv. 45. Syrupus Sacchari clarificatus N. 54).

Sukker-Sirup.

℞. Sacchari albi partes novem; 9

solvantur in

Aqvae destillatae partibus qvinqve ..... 5.

Syrupus paretur.

Sit prorsus limpidus colorisqve expers.

Syrupus Sambuci.

Hylde-Sirup.

E Fructu Sambuci nigrae recenti eodem modo paretur, qvo Syrupus Cerasi.

Sit colore purpureo.

Syrupus Senegae.

(Sv. 45. Syrupus Radicis Polygalae Senegae N. 54).

Senega-Sirup.

℞. Radicis Senegae minutim concisae partem unam; 1

affundatur tanta copia

Aqvae communis bullientis,

ut post digestionem horarum octo vel decem, inter qvam liqvor saepe agitetur, colatione facta, ubi turbantes partes liqvoris sepositi subsederint, et liqvor filtratus sit,

partes novem 9

remaneant; ex his, additis

Sacchari albi partibus sedecim, ... 16

Syrupus paretur.

Sit colore subflavido.

Syrupus Sennae mannatus.

Syrupus Mannae D. 50.

(Syrupus Foliorum Cassiarum mannatus N. 54).

Manna-Sirup.

℞. Foliorum Sennae concisorum partes triginta, ... 30

Fructus Foeniculi pulverati, ... 1

Rhizomatis Zingiberis pulverati, singulorum partem unam, ... 1

Mannae partes qvinqvaginta; 50

affundantur

Aqvae communis bullientis partes ducentae; 200

digestione unius horae inter agitationem saepe repetitam facta, colentur. Liqvor seponatur, ut turbantes partes subsidant, et decantetur, deinde in eo solvantur

Sacchari albi partes centum septuaginta, ... 170

qvo facto, Syrupus paretur, si opus est, evaporatione leni calore facta.

Sit colore fusco.

Syrupus tolutanus.

Tolu-Sirup.

℞. Tincturae tolutanae partes tres; 3

conqvassentur cum tanta copia

Aqvae destillatae,

ut, liqvore ebullito, deinde refrigerato et filtrato,

partes viginti 20

remaneant; ex his, additis

Sacchari albi partibus qvadraginta,..... 40

Syrupus, calore adhibito, paretur.

Sit colore subflavo; Balsamum tolutanum redoleat et resipiat.

Tartarus boraxatus.

Cremor Tartari solubilis D. 50.

(Sv. 45. Tartras boraxato-kalicus N. 54).

Borax-Vinsten.

℞. Biboratis natrici partem unam; 1

in patinam porcellaneam immissa solvatur in

Aqvae destillatae bullientis partibus octo;..... 8

solutioni addantur

Bitartratis kalici partes duae..... 2.

Ubi Bitartras kalicus, calore adhibito, solutus erit, liqvor filtretur, deinde in balneo aqvae evaporetur, donec massa densa et tenax, post refrigerationem dura remaneat. Haec exempta et adhuc calida in laminas tenues extrahatur, qvae in furno, leni calore adhibito, plane siccentur; tum laminae contusae in vase vitreo haud nimio et probe obturando serventur.

Sit albus et sapore acido, ex aëre humorem attrahat, in aeqvo pondere Aqvae solvatur; solutio, Solutione Sulphidi hydrici addita, ne coloretur, neve Solutione Ammoniaci supersaturata, addita Solutione Sulphohydratis ammonici, coloretur.

Tartras ferrico-kalicus.

Vinsurt Jerntveilte-Kali.

℞. Solutionis Sulphatis ferrici partes tres;..... 3

diluantur

Aqvae destillatae partibus novem..... 9

et inter perpetuam agitationem in mixturam, e

Solutionis Ammoniaci partibus tribus..... 3

et Aqvae destillatae partibus sexaginta..... 60

paratam, infundantur. Si mixtura parata reactionem alkalinam manifestam non prodiderit, tanta copia Solutionis Ammoniaci addatur, ut illud fiat. Sedimentum deinde in linteum distentum colligatur et Aqva destillata eluatur, donec liqvor defluens, Solutione Chloreti barici addita, non amplius turbetur. Massa pultacea in patinam porcellaneam immittatur et, admixta

Bitartratis kalici parte una,..... 1

calore 60° non excedente calefiat, donec paene omne Oxydum ferricum solutum sit. Solutio seponatur, ut turbantes partes subsidant, deinde, limpida decantata eodem calore adhibito, ad crassitudinem syrupi tenuis evaporetur et, laminis vitreis inducta, in furno plane siccetur. Sqvamae siccae et pellucidae hac ratione paratae colligantur et in vase probe obturato serventur.

Sint sqvamae e fusco rubrae, pellucidae, in Aqvae partibus qvinqve vel sex plane solubiles, in Spiritu indissolubiles. Partes centum continent paullo plus qvam partes triginta Oxydi ferrici vel Ferri partes viginti unam.

Tartras ferroso-ferrico-kalicus.

(Loco Globulorum Tartari martiati D. 50).

(Globuli Martiales Sv. 45. Globuli Tartratis ferrico-kalici N. 54).

Jern-Vinsten.

℞. Ferri limati partem unam,..... 1

Bitartratis kalici depurati venalis pulverati partes qvinqve;..... 5

mixtae in vas lapideum aptum immittantur et tanta copia Aqvae destillatae humectentur, ut puls oriatur. Haec, calore

adhibito, inter agitationem saepius repetitam ita digeratur, ut Aqva evaporatione consumpta semper restituatur, donec massa homogenea et nigra orta sit, et portiuncula exempta in Aqva maxima ex parte solvatur, solutione colorem e nigro viridem induente. Jam praeparatum plane siccatum in pulverem redigatur et in vase probe clauso servetur.

Sit pulvis e nigro viridis, mox colorem fuscum induat, in Aqvae partibus sedecim maxima ex parte solvatur.

Tartras kalicus.

Kali tartaricum, Tartarus tartarisatus D. 50.
(Tartras kalicus Sv. 45. Tartras bikalicus crystallisatus N. 54).

Vinsurt Kali

℞. Bicarbonatis kalici partes qvinqve, ... 5
Aqvae destillatae partes duodecim; 12
in patinam porcellaneam immissae calefiant, donec bulliant; tum sensim addantur
Bitartratis kalici partes novem 9
vel tanta copia, ut reactio alkalina liqvoris paene tollatur. Deinde liqvor filtretur et evaporatus sepositusqve in crystalla redigatur, qvae caute siccata in vase probe obturato serventur.

Sint crystalla coloris expertia et diaphana; in Aqvae partibus tribus qvartis, bullientis parte dimidia limpide solvantur. Solutio aqvosa sit reactionis subalkalinae, Solutione Sulphohydratis ammonici addita ne coloretur.

Tartras natrico-kalicus.

Tartarus natronatus D. 50.
(Tartras natrico-kalicus Sv. 45. Tartras natrico-kalicus crystallisatus N. 54).

Seignette-Salt.

℞. Carbonatis natrici partes qvattuor; 4
immittantur in patinam porcellaneam, qvae in balneo aqvae sit collocata, et in qva insint

Aqvae destillatae bullientis partes viginti qvattuor;. 24
tum inter agitationem sensim addantur

Bitartratis kalici partes qvinqve 5

vel tanta copia, ut reactio liqvoris alkalina paene tollatur. Deinde liqvor filtratus evaporetur et ad crystallisationem seponatur; crystalla, parva copia Aqvae frigidae abluta, siccentur. E lixivia remanenti, evaporatione continuata, plura crystalla parari possunt. Crystalla collecta siccentur et in vase probe clauso serventur.

Sint crystalla coloris expertia, pellucida, in Aqvae partibus duabus solubilia. Solutio Solutione Oxalatis ammonici et Solutione Sulphohydratis ammonici ne turbetur.

Tartras stibico-kalicus.

Tartarus stibiatus, Tartarus emeticus D. 50.
(Tartras stibico-kalicus Sv. 45. Tartras stibico-kalicus crystallisatus N. 54).

Brækvinsten.

℞. Aqvae destillatae partes qvinqvaginta;..... 50
in patina porcellanea calefiant, donec bulliant, tum addantur

Oxydi stibici partes qvattuor..... 4

et Bitartratis kalici partes qvinqve ..... 5.

Mixtura inter agitationem saepe repetitam per unam horam ita coqvatur, ut Aqva evaporatione consumpta sensim restituatur. Tum liqvor qvam calidissimus filtretur, deinde evaporetur, donec partes viginti septem remaneant, et inter perpetuam agitationem refrigeretur. Pulvis crystallinus inde ortus separetur a lixivia, qvae, ad qvartam partem evaporata, inter refrigerationem pulverem crystallinum rursus secernet. Pulvis, Aqva destillata frigida elutus, inter plagulas chartae bibulae leni calore siccetur et in vase probe clauso servetur.

Sit pulvis peralbus, crystallinus, in Aqvae partibus qvindecim, bullientis partibus duabus solubilis, in Spiritu indissolubilis. Solutio aqvosa, addita parva copia Acidi tartarici, Solutione Chloreti barici vel Nitratis argentici ne tur-

betur. Si pulvis in cochleari ferreo candefactus erit, donec Acidum tartaricum plane destructum sit, residuum candescens, si afflaveris, odorem alliaceum ne spargat.

Testae Ostrearum praeparatae.

Conchae praeparatae D. 50.

(Testae Ostrearum praeparatae Sv. 45. Conchae Ostreae edulis mundatae N. 54).

Præparerede Østersskaller.

Testae Ostrearum cum Aqva coqvantur, ab omnibus qvisqviliis adhaerentibus ope scopulae purgentur, abluantur, siccentur, in pulverem subtilissimum terantur, laevigentur Aqva et iterum siccentur.

Sit pulvis subtilissimus, albus, insipidus, Acidis perfusus valde effervescat, ignitus odorem debilem et animalem emittat et colorem subcanum induat.

Tincturae.

Nisi alia parandi ratio praescripta est, species aut, si molliores sunt, minutim concisae, aut, si duriores sunt, grosse pulveratae cum menstruo inter qvassationem qvotidie saepe repetitam loco umbroso per tres dies digerantur aut per octo dies macerentur. Adhibeantur vasa, qvorum volumen ad dimidiam tantum partem substantiis Tincturae repleatur; vasa inter macerationem claudantur, inter digestionem vesica humida, acu perforanda, obtegantur. Digestio calorem 35^0—40^0, maceratio calorem 15^0—20^0 reqvirit. Ante utramqve operationem pondus vasis et substantiarum, qvae insunt, in vase inscribatur; digestione aut maceratione peracta, et liqvore satis refrigerato, pars ponderis evaporatione fortasse consumpta restituatur, admixto Spiritu concentrato, si menstruum est Spiritus dilutus vel Spiritus concentratus.

Deinde Tinctura decantetur, et residuum, si opus est, celeriter prelo exprimatur; liqvores statim collecti per horas vi-

ginti qvattuor vel diutius in vase clauso seponantur, ut turbantes partes subsidant, eo loco, qvo Tinctura servanda est, ibiqve in infundibulo operculo tecto filtrentur.

Tincturae sint limpidae et eas tantum substantias, e qvibus paratae sunt, redoleant vel resipiant.

Serventur Tincturae in lagenis probe clausis loco umbroso, cujus temperatura sit decem — qvindecim graduum.

Tinctura Absinthii.

(Sv. 45. Essentia Herbae Absinthii N. 54).

Malurt-Draaber.

℞. Herbae Absinthii partem unam, ... 1
Spiritus diluti partes qvinqve ..... 5.

Digerantur.

Sit colore e subfusco viridi.

Tinctura Aconiti.

(Essentia Foliorum Aconiti N. 54)

Stormhat-Draaber.

℞. Herbae Aconiti partem unam, ... 1
Spiritus diluti partes decem ..... 10.

Digerantur.

Nota. Qvinqve partes respondent circiter sex partibus Tincturae Aconiti Ph. Dan. 1850.

Tinctura amara.

(Tinctura Absinthii composita, Tinctura amara Sv. 45. Essentia amara N. 54).

Bittre Draaber.

℞. Fructus Anisi partem unam, ... 1
Fructus Aurantii, ... 4

Foliorum Cardui benedicti, ... 4
Radicis Gentianae, singulorum partes qvattuor, . . . 4
Herbae Absinthii partes sedecim, ... 16
Spiritus diluti partes centum qvadraginta qvinqve. 145.
Digerantur.

Sit colore e subviridi fusco.

Tinctura Arnicae.

Volverlei-Draaber.

℞. Florum Arnicae partem unam, ... 1
Spiritus diluti partes decem . . . . . 10.
Digerantur.

Nota. Qvinqve partes respondent circiter qvattuor partibus Tincturae Arnicae Ph. D. 1850.

Tinctura aromatica.

(Sv. 45. N. 54).

Krydrede Draaber.

℞. Corticis Cinnamomi Cassiae partes qvattuor, ... 4
Florum Caryophylli, ... 1
Rhizomatis Galangae, ... 1
Rhizomatis Zingiberis, ... 1
Fructus Cardamomi, singulorum partem unam, ... 1
Spiritus diluti partes qvadraginta . . . . . 40.
Digerantur.

Tinctura aromatica acida.

Elixir aromatico-acidum D. 50.
(Essentia aromatica acida N. 54).

Sure, krydrede Draaber.

℞. Specierum Tincturae aromaticae praescriptarum partes qvinqve. . . . . 5.

Digerantur, addita mixtura, ex

Acidi sulphurici parte una..... 1

et Spiritus diluti partibus viginti qvattuor..... 24

parata.

Tinctura Asae foetidae.

(Sv. 45. Essentia Gummi-resinae Ferulae N. 54).

Dyvelsdræk-Draaber.

℞. Gummi-resinae Asae foetidae pulveratae partem unam, 1

Spiritus concentrati partes qvinqve..... 5.

Digerantur.

Sit colore e subflavo fusco.

Tinctura Aurantii.

Tinctura Corticum Aurantiorum D. 50.

(Tinctura Aurantii Sv. 45. Essentia Corticis Fructuum Aurantii N. 54).

Pommerans-Draaber.

℞. Corticis Fructus Aurantii partem unam,..... 1

Spiritus diluti partes qvinqve ..... 5.

Digerantur.

Tinctura balsamica aromatica.

Balsamum vitae Hoffmanni, Mixtura oleosa balsamica D. 50.

(Essentia aetherea balsamica N. 54).

Hoffmanns Livsbalsam.

℞. Pyrolei Succini partem unam,..... 1

Aetherolei Caryophylli,..... 2

Aetherolei Cassiae, ... 2

Aetherolei Lavandulae,..... 2

Aetherolei Macidis, singulorum partes duas,..... 2

Balsami peruviani partes tres; 3

conqvassentur cum

Spiritus concentrati, antea Radice Alkannae pulchre tincti, partibus qvadringentis octoginta octo 488

et, parvo temporis spatio interjecto, filtrentur.

Tinctura Benzoes.

(Sv. 45).

Benzoe-Draaber.

℞. Resinae Benzoes partem unam, ... 1

Spiritus concentrati partes qvinqve ..... 5.

Digerantur.

Tinctura Benzoes composita.

Balsamum Commendatoris D. 50.

(Tinctura Benzoes aloetica Sv. 45).

Sammensatte Benzoe-Draaber.

℞. Aloes partem unam, ... 1

Balsami peruviani partes duas, ... 2

Resinae Benzoes partes novem, ... 9

Spiritus concentrati partes sexaginta ..... 60.

Digerantur.

Tinctura Calabar.

Kalabar-Draaber.

℞. Seminis Calabar partem unam, ... 1

Spiritus concentrati partes decem ..... 10.

Digerantur.

Sit colore e subfusco flavo.

Tinctura Calami.

Tinctura Calami aromatici D. 50.

Kalmus-Draaber.

℞. Rhizomatis Calami partem unam, ... 1
Spiritus diluti partes qvinqve ..... 5.
Digerantur.

Tinctura Cantharidum.

(Essentia Cantharidum N. 54).

Spanskflue-Draaber.

℞. Cantharidum nuper grosse pulveratarum partem unam, ... 1
Spiritus diluti partes triginta..... 30.
Digerantur.

Sit colore e subflavo viridi.

Nota. Qvindecim partes respondent circiter octo partibus Tincturae Cantharidum Ph. Dan. 1850.

Tinctura Cantharidum fortior.

